JOANNIS WYBO
FIL. ANT.
JURISCONSULTI
DE
INTERROGATIONIBUS
IN JURE
LIBER SINGULARIS.
EDITIO NOVA.

BIBLIOTECA NAZIONALE DI NAPOLI

LUGDUNI BATAVORUM,
Sumtibus
JOANNIS GRAVIER,
Bibliopolæ Neapolitani
M. DCC. LXVI.

Digitized by Google



Digitized by Google

AMPLISSIMO, GRAVISSIMOQUE

VIRO

D. GUILIELMO VAN CITTERS,

J. U. D. INCLYTAE CIVITATIS MEDIOBURGENSIS SENATORI, ET VIRO CONSULARI, SOCIETATIS INDICAE ORIENTALIS MODERATORI. ETC. ETC.

S. D.

JOANNES WYBO.

NOn diu, nec ſollicite mihi circumſpiciendum fuit, quem potiſſimum juvenili huic foetui, in ipſo ſtudii forenſis tirocinio concepto & nato, Patronum deligerem. Statim enim mihi aurem vellebat Patria, ſuique

ac Tui, inter Patres ac Tutores illius loco illuſtri poſiti, admonebat. Erunt haud dubie, qui in ea re temeritatem meam accuſaturi, idque ſe non ſine ratione facere putaturi ſint. Nam ne ipſe quidem neſcius ſum amplitudinem dignitatis Tuae poſtulare, ut Tibi nihil niſi ſubacto judicio elaboratum, & accuratiſſima lima perpolitum offeratur: a qua laude levem hanc operam meam longe abeſſe ultro fateor. Sed & Vetus dictum ſcio, *mola ſalſa litare, qui thura non habent*, & proditum eſſe, *Diis ſemper non minus gratas fuiſſe pauperum, qui eos religioſe colerent, quam ditiſſimorum primitias.* Itaque fretus inſigni Tua humanitate, & propenſa voluntate in eos, qui ſtudia doctrinae optimarum omnis generis artium colunt, auſus ſum Ampliſſimum Tuum Nomen huic qualicunque meae opellae, in expli-

plicando non ignobili e Jure Romano argumento collocatae, praeponere. Poſſem quidem & alias, easque non paucas, nec leves cauſſas adferre, quibus motus me meaque Tibi commendanda cenſuerim. Sed non eſt mihi animus hic in campum veriſſimarum Tuarum laudum excurrere, Tuamque in rebus adminiſtrandis ſingularem prudentiam, integritatem, ac fidem, & ſumma in Rempublicam & Cives, quibus non modo boni Rectoris ſollicitudinem, ſed & Parentis affectum praeſtas, merita multis praedicare. Neque enim vel ipſe apud alios adulationis ſuſpicionem incurrere, vel Tibi referendis quantumvis juſtis, & apud omnes notis, laudibus Tuis, gravis eſſe volo. Unum hoc in beneficii & gratiae loco quam impenſiſſime peto, ne offendaris, me, qui dudum tacitus virtutes Tuas ſuſpexi,

nunc publice venerationem earum prae me ferre auſum; utque benigna ac ſerena fronte parvum hunc libellum, non tam pretium illius, quam animum offerentis intuens, excipias. Id ſi feceris, quod me ſperare jubet humanitas Tua, meumque in hoc genere ſtudium Tibi non diſplicuerit, animum mihi addes, ut eodem, quo coepi, pede pergam, & omni animi corporiſque contentione in id enitar, ut aliquando non inutilis, nec poenitendus Patriae civis eſſe poſſim. Vale, Vir Ampliſſime, Reipublicae, & bonorum omnium bono; atque ita Tibi perſuade, neminem eſſe, cui in Te ſumma obſervantia colendo concedam. Hagae in Batavis ipſis Idibus Junii CIↃIↃCCXXXII.

PRAE-

PRAEFATIO
AD
LECTOREM.

PAucis te dimittam, Lector: nam animus non eſt otii, ſeu potius negotii mei reddere rationem, quod alii ſolent. Jam biennium eſt, & quod excurrit, quod occupatus fui in perſcrutandis explicandisque illis legibus, quas Viri magni nominis, Cujacius, Hotomannus, Giphanius, Antonius Faber, & poſt hos omnes Wiſſenbachius a Triboniano interpolatas, & quibus ab eo ex Conſtitutionibus Conſtantini, Zenonis, ac denique Juſtiniani aliquid inſertum eſſe, crediderant. Tunc temporis putabam, & quid obſtat, me adhuc eandem fovere ſententiam? totam ſcilicet veterem Jurisprudentiam laborare, ſi hac ratione omnia illa ICtorum fragmenta, quae Wiſſenbachius collegit, diceremus eſſe mutilata, & ſub perſona ICti alicujus ſemper Tribonianum ſuas egiſſe partes. Haec quum facerem,

Digitized by Google

rem, *occurrebat quoque fragmentum illud Calliſtrati ex* Libro 11. Edicti Monitorii *in* l. 1. §. 1. ff. de Interrog. in Jur. faciend. & de Interrog. action. Interrogatoriis actionibus hodie non utimur: quia nemo cogitur ante judicium de jure ſuo aliquid reſpondere. Ideoque minus frequentantur & in deſuetudinem abierunt. *&c. Inſulſa haec videbantur verba, immo abſurda atque inepta. Quid enim? Interrogatoriis actionibus non utebantur Veteres, & tamen Praetor de illis in Albo Edictum propoſuit, & quod majus eſt, ipſi quoque ICti Veteres de hoc Edicto commentati ſunt. Haec ſane non quadrabant. Hinc ergo, ut fit in re dubia, harum actionum multae illae ſententiae, multae illae opiniones. Quidam, fateor, explicarunt Calliſtrati verba, ſed adeo indulgent ingeniorum ſuorum voluptati, ut oblivifcantur & in praeteritis relinquant caeteras leges, easque reddant inexplicabiles. Alii, ut dixi, in Tribonianum fabam cudunt, & haec verba non Calliſtrato, ſed Triboniano, jura vetera ad tempus ſuum accommodanti accepta referenda, exiſtimant. Verum ſi interroges ad quam juris novi partem d. Lex fuerit mutata,*

ta, tum vero de hoc apud illos altum eſt ſilentium, vel ſaltem, qui hac de re paulo liberius loquuntur, comiter dicunt ſe neſcire. Conatus itaque fui non eadem de Actionibus interrogatoriis antiquis *ſcribere, quae jam alii ſcripſerunt: ac praeterea oſtendere dicta verba ipſius Calliſtrati eſſe, eaque ſarta tecta Tribonianum nobis conſervaſſe & tradidiſſe. De ordine nihil monebo. Nam prius, ut ratio poſtulat, omnes fere ſententias Doctorum refutavi, deinde meam propoſui, denique Edictum Edictique verba exſecutus fui. Modeſte tamen, uti decet, & circumſpecto judicio de magnis Viris pronunciavi, ac debitam meritis illorum praeclaris & inſignibus reverentiam tribui. Scio equidem, alios juvenes & idem prae ſe ferre, nec id ita pridem factum fuiſſe: quum interim ſuppreſſis nominibus (quanta modeſtia! nam hoc praetextu nominibus ſe abſtinent, & ſaepe deprecantur, ut Lectores memores ſint, ſe eſſe juvenes) ſuppreſſis, inquam, nominibus acriter in auctores tam veteres quam recentiores invehantur. Verum candide ac ſincere cum iis communicabo communem Virorum limati & politi judicii ſententiam, nempe nihil hac ratione*

tione

Digitized by Google

tione ignobilius, nihil magis indecorum eſſe. Unum hoc ſi addidero, non diutius te morabor, Lector. De Pragmaticis noſtris verbum non dixi, quamvis videam, eos & ad ſuas interrogationes, quae fiunt per verbum credit *vel* non credit, *ut ajunt, multas leges, quae ad hoc Edictum pertinent, male & perperam applicaſſe. Neque id mirum eſt, quum in judiciis noſtris plura ex errore Interpretum irrepſerunt, quae hodie ut jus certum obſervantur. Inde apud illos valet*, Error facit jus, *ſecus quam in Jure Civili. Vale & his fruere.*

JOAN-

JOANNIS WYBO, Fil. Ant.

JURISCONSULTI,

DE

INTERROGATIONIBUS

IN JURE,

LIBER SINGULARIS.

Caput I.

DE INTERROGATIONIBUS IN JURE FACIENDIS, ET DE INTERROGATORIIS ACTIONIBUS.

Haec eſt Inſcriptio *Libri* xi. *Digeſtorum Tituli* 1. in Codice Florentino. In Editione Norica additur in fine vox *ſublatis*. Aliter Jacobus Gothofredus; qui in ſerie librorum Edicti perpetui verba ultima, *& de Interrogatoriis actionibus*, omiſit, & Rubricam ſimpliciter *de Interrogationibus in Jure faciendis* edidit. Ab Haloandrina & Gothofredi ſententia non valde recedunt libri Baſiliκῶν, περὶ ἐπερωτήσεως ἐν δικαστηρίῳ γινομένης, καὶ ἀντεπερωτήσεως πραχθείσης. Sed retinenda eſt lectio Florentina.

Si evolvas Leoninum *Libr.* III. *Emendat. Cap.* 9. alioſque, qui eum ſecuti ſunt, probant omnino illi lectionem Noricam, quia, ut ajunt, majorem Inſcriptionis & Tituli perfectionem ea continet, propterea quod tempore Calliſtrati caeterorumque ICtorum, quorum reſponſa ſub hoc Titulo inveniuntur, actiones interrogatoriae eſſent ſublatae. Id, quod dicunt, docent ex *l.* 1. §. 1. *ff. h. t.* *INTERROGATORIIS AUTEM ACTIONIBUS HODIE NON UTIMUR : quia nemo cogitur ante judicium de ſuo jure aliquid reſpondere. Ideoque minus frequentantur & in deſuetudinem abierunt : ſed tantummodo ad probationes litigatoribus ſufficiunt ea, quae ab adverſa parte expreſſa fuerunt apud judices, vel in hereditatibus vel in aliis rebus, quae in cauſſis vertuntur.* Habes verba clara, ita ut fruſtra de uſu actionum interrogatoriarum Calliſtrati tempore quaeratur. His adde, quod Edictum Praetoris non de Actionibus Interrogatoriis, ſed de Interrogationibus tantum fuerit propoſitum. arg. *l.* 2. *ff. eod.* Quarum uſus aevo Calliſtrati aliorumque ICtorum obtinuit, in quibus ſolummodo verſatur ICtorum doctrina. Hae interrogationes, ex illorum ſententia, nec ſaeculo Calliſtrati, nec tempore Juſtiniani Imperatoris in deſuetudinem abierant, ſed frequenter & cum fructu uberrimo patebant latiſſime, quoniam non tantum ad litem fieri po-

potuerunt inſtruendam, verum etiam ad litem finiendam, dum tamen prius aliqua edita fuiſſet actio & propoſitus libellus. *l.* 1. *l.* 8. *l.* 11. §. 4. *ff. h. t.* Ob quam rationem & alii Inſcriptionem hujus Tituli expoſuerunt *de Interrogationibus in jure faciendis*, ſupple, *quae adhuc* exſtant. Porro, *& de Interrogatoriis Actionibus*, ſubintellige, *quae in deſuetudinem abierunt*. Explicatio primo intuitu ſpecioſa, ſed, ſi me audis, monſtroſa.

Praeſtemus igitur, interrogatorias actiones aetate Calliſtrati caeterorumque ICtorumque veterum fuiſſe in uſu. Miror, Leoninum non inſpexiſſe *l.* 22. *ff. h. t.* ex qua apparebit, actiones interrogatorias in quotidiana fuiſſe conſuetudine. Ne dubites, ecce verba: *Procuratore Caeſaris ob debitum fiſcale interrogante, unus ex filiis, qui nec bonorum poſſeſſionem acceperat, nec heres erat, reſpondit, ſe heredem eſſe: an QUASI INTERROGATORIA caeteris teneatur? reſpondit, ab his, qui in Jure non interrogaſſent, ex reſponſo ſuo conveniri non poſſe.* Vides, filium, qui nec bonorum poſſeſſionem jure Praetoris acceperat, nec Jure civili heres erat, ſi reſpondiſſet, ſe heredem eſſe, *quaſi interrogatoria*, id eſt, actione utili interrogatoria non teneri caeteris creditoribus, ſed interroganti tantum. Quid? nonne interrogatoriae actiones fuerint in uſu? De ſolis ſane interrogationibus dicta lex accipi nequit.

Et hoc ſufficeret, ut conſtaret, Edictum Praetoris non ſolummodo fuiſſe editum de Interrogationibus, verum & de Interrogatoriis Actionibus. Sed plura de hoc in ſequentibus.

Nemo, credo, in controverſiam vocabit, interrogationes fieri ad litem inſtruendam: *voluit enim Praetor adſtringere eum, qui convenitur ex ſua in Judicio reſponſione, ut vel confitendo, vel mentiendo ſe ſe oneret, ſimul etiam portionis, pro qua parte quis heres exſtitit, ex interrogatione certioretur. l.* 4. *pr. ff. h. t.* Unde autem hanc doctrinam eliciant, quod olim interrogationes fieri potuerint ad litem finiendam, dum tamen aliqua prius fuerit actio edita & propoſitus libellus; nec ego ſcio, nec illi probant. Adducunt *l.* 1. *l.* 8. *l.* 11. *ff. h. t.* Sed, ſi attente perlegas, nihil admodum hac de re invenies. Si haec procederent, oſtendant quoque differentiam, velim, inter Edictum *de Confeſſis*, & illud, quod propoſitum fuit *de Interrogationibus.* Qui confeſſus eſt, pro judicato eſt, quia quodammodo ſua ſententia damnatur. *l.* 1. *ff. de Confeſſ.* Qui interrogatus eſt, ſi ad interrogatum reſpondeat, an ex ſua reſponſione pro judicato habetur? Quae, inquam, differentia? Nullam facit Hieronymus Treutlerus *Select. Diſputat. Vol.* 1. *Diſputat.* IV. *Theſ.* 1. *Lit. D.* Fuit omnino diſcrimen quoddam inter Edictum *de Confeſſis*, & Edictum *de Interroga-*

roga-

rogationibus. Alioquin inutile foret, Edictum *de Confeſſis* proponi, idemque a ICtis explicari; eadem ſimiliter de re Edictum fieri *de Interrogationibus*, quae aut parum aut nihil a ſe invicem diſtarent. Non ſolet ita Praetor, nec ſolent ICti. Qui confitetur, ſe Stichum debere, ſtatim pro confeſſo habetur: adeoque qui confeſſus eſt, ſua damnatur ſententia, nec alia ſuperat actio. Interrogatus, ſi reſponderit, pro judicato non habetur, ſiquidem interrogationes litium erant praeparationes & qualitates adjectitiae actionis principalis. Qui reſpondit ſuum eſſe ſervum, qui damnum dedit, an ſtatim tenetur, nulla alia ſequente actione? Cave, ut dicas: tenetur actione interrogatoria: nec illa ſola, *tenetur actione Legis Aquiliae, quaſi dominus*. Quid tum porro? *& ſi cum eo actum ſit, qui reſpondit, dominus ea actione liberatur. l.* 8. *ff. h. t.* Liberatur dominus actione Legis Aquiliae, quae nunc in reſpondentem eſt tranſlata, dum & ille actione interrogatoria ex ſua in judicio reſponſione, & actione Legis Aquiliae loco domini convenitur. Hinc eſt, quod Ulpianus & Scaevola in *l.* 4. *& l.* 22. *ff. h. t.* dicunt, reſpondentem *conveniri ex ſua in judicio reſponſione* vel *ex ſua reſponſione conveniri non poſſe*. Nec deſiſto. Quae ſunt illae exceptiones, quae inſtitutis in Judicio contra reos actionibus opponuntur, quibus uſus fuiſſet, ſi ve-

 rus

rus heres reſpondiſſet, ſed nunc alius utitur, qui dixit per mendacium ſe heredem, loco ejus, qui verus erat heres in *l.*12. §.1. *ff.h.t.?* Exceptio opponi nequit, niſi inſtituta actione, quae eſt interrogatoria: ſimul inſtituta actione principali. Idem eſt in tacente. Interrogatus in jure, ſi taceat, tenetur in ſolidum, quaſi negaverit ſe heredem eſſe. ſed an eo ipſo, quod tacuerit, nulla adverſus eum inſtituta actione? Audi Paulum in *l.* 11. §. 4. *ff. h. t.* *Qui tacuit [quoque] apud Praetorem, in ea cauſſa eſt, ut INSTITUTA ACTIONE in ſolidum conveniatur*. Nec ullus, quod ſciam, fingi poteſt caſus, quo adverſa parte interrogata, ſi reſponderit, ipſius reſponſione lis finiatur. Si quis, puta, interrogatus ſit, qua ex parte ſit heres, & reſponderit, an haec reſponſio pro confeſſione de jure principali eſt habenda? hac de re non interrogatur neque interrogari poteſt: ſaltem interrogatus ad illud reſpondere non cogitur, quum per interrogationem tantum quaeratur de qualitate ejus, adverſus quem judicio principali agendum eſt.

Intellectu difficile eſt, quod Leoninus & cum eo alii ratiocinantur, interrogationes fieri & ad litem finiendam & ad litem inſtruendam, dum tamen prius aliqua ſit edita actio & propoſitus libellus. Nunquam interrogatum fuit poſt editam actionem & propoſitum li-

libellum. Metuendum ſaepe fuiſſet, ne in damnum plus petitionis jam incidiſſet actor, ad quod evitandum neceſſaria fuit in jure interrogatio ante editam actionem, ut pro ea, qua reſpondit, parte, ex ſua reſponſione actione interrogatoria conveniri poſſet. *l.* 1. *l.* 4. *l.* 11. §. 2. *&* 9. *l.* 13. *l.* 22. *ff. h. t.* Quam grave ergo ſit illorum argumentum, qui Inſcriptionem Tituli per ſupplementum, perque ſubintellectum expoſuere, ob *d. l.* 1. §. 1. *ff. h. t.* ab illis male intellectam, aliis dijudicandum relinquo. Explicatio eſt legum per modum ſalutarem *ſupple ſubintellige*, antiqua, ſed, ni fallor, peſſima; quam nihilominus ICti, & quidem non inferioris notae, hodie ſaepe ſequuntur: quum tamen non meminerim usquam me legere, ICtos veteres ſententias ſuas partim integras edidiſſe, partim ita, ut ſupplerentur, vel quaedam pro lubitu ſubintelligerentur. Erubeſcere ſe dicunt novi ICti, ſine lege loqui: erubeſcant igitur etiam verba legum pro voluntate torquere, aliaque, quae non exſtant, ſupplere atque ſubintelligere.

Sunt aliae Doctorum ſententiae de his actionibus interrogatoriis ab his, propter. *d. l.* 1. §. 1. *ff. h. t.* excogitatae. Lapis, cui impingunt, ſed quem non removent. Duarenus *Lib.* 1. *Diſput. Anniverſ. Cap.* 43. Doctiſſimos quoque turbavit, inquit, quod per totum tracta-

tum *de Interrogationibus in jure faciendis*, mentio fiat actionum interrogatoriarum; Edictumque Praetoris de ea actione propoſitum interpretantur ICti, perinde ac ſi ſublatae non eſſent: quum tamen Calliſtratus in *d. l.* 1. *ff. h. t.* eas *in deſuetudinem abiiſſe*, pronuntiet. Sed, ut haec conciliet, medium quoddam habet ille, quod nempe interrogatoriae actiones aevo Calliſtrati minus quidem frequentarentur, ſed non omnino in uſu eſſe deſierint. Quod vix eſt, ut placeat Wiſſenbachio in *Emblemat. Triboniani* ad *d. l.* 1. §. 1. *ff. h. t.* qui actiones interrogatorias tempore Calliſtrati omnino in uſu fuiſſe arbitratur; atque hinc amicus ſuo Triboniano optimus dictam Legem non Calliſtrati, ſed Triboniani eſſe putat, laudans, ut ſolet, Hotomannum: nam ſemper ſequitur ſuum auctorem. Reſponſio Huberi ad hanc Cenſuram eſt in *Eunom. Roman.* ad *d. l.* non abſciſſe negari, Tribonianum huic legi manum adhibuiſſe, de crimine vero non liquere: quippe de actionibus interrogatoriis nihil aut vix ſub hoc titulo quidquam collocaverit Tribonianus propter verba *d. l.* 1. §. 1. *ff. h. t.* *eas minus frequentari & abiiſſe in deſuetudinem.* De interrogationibus tamen in jure faciendis ut pergit, ſub hoc Titulo agitur copioſe, licet ipſae interrogationes, modo veteri, aevo Juſtinianeo non fuerint in uſu. Sed in modo erat diſcrimen & in tempore. Olim fiebant *in jure*, id

eſt,

eſt, ante litem conteſtatam, deinde & poſt eam fieri coeperunt, non ad formulam actionis bene concipiendam; verum ut litigatoribus tantummodo ſufficerent ad probationes. *d. l.* 1. §.1. *ff. h.t.* Atque in his idem juris erat obſervandum, quod olim in illis, quae *in jure* fiebant. Hactenus illi.

Haec non movent, ut a mea recedam ſententia. Tempore veterum ICtorum, quorum fragmenta ſub hoc Titulo & alibi quoque exhibentur, immo ad tempora Juſtiniani uſque, actiones interrogatoriae in uſu fuerunt. Turbavit Doctores *d. l.* 1. §. 1. *ff. h.t.* ſed ſine ratione. Eorum explicatio me magis aliosque turbavit, quum non, ut res eſt, dicant. Id unicum agunt, ut lucem dictae legi adferant, quum interim caeteras hujus Tituli leges, in quibus actionum interrogatoriarum fit mentio, reddant inexplicabiles. Non nego, actiones interrogatorias *minus frequentari & abiiſſe in deſuetudinem*: ſed nego, dicta verba intelligi debere de actionibus interrogatoriis, de quibus eſt Edictum Praetoris: nam de antiquis agit Calliſtratus, quae ante illud Edictum *de Interrogationibus in jure* erant vulgares, quaeque Praetori, proponendi Edictum, anſam praebuerunt, de quibus nos latius *Capit.III.* Julianus enim, Javolenus, Pomponius, Cajus, Paulus, Ulpianus & Papinianus de re minus frequentata, nondum

tamen obſoleta non ſcripſerunt. Dic, ſodes, nonne ſupervacuum foret, dicam, per abſurdum, ICtos tot ac tanta ſcribere de his actionibus, ſi jam in deſuetudinem abiiſſent? Cui bono, precor? An hicce unquam ICtorum veterum erat mos explicandi docendique talia, quae in foro ſuum non haberent uſum? ſatis confuſa tunc temporis erat Jurisprudentia, nondum, ut hodie, in Corpus numu redacta. *Ea enim virtute & ſapientia Majores noſtri fuerunt, ut in legibus ſcribendis nihil ſibi aliud, niſi ſalutem atque utilitatem Reipub. proponerent*, inquit Tullius *Libr.* I. *De Invent. Rhetor. Cap.* 38. Neſcio, an addam, ea re futurum fuiſſe, ut maxime obruerentur illi, qui Jurisprudentiae addiſcendae addicti erant. Nam *quotusquisque tam patiens eſt, ut velit diſcere, quod in uſu non ſit habiturus*, ad Ariſtonem ICtum ſcribebat Plinius *Libr.* VIII. *Epiſtol.* 14. Et magis ad rem Seneca *Epiſtol.* XLVIII. *Etiam ſi multum ſupereſſet aetatis, parce diſpenſandum erat, ut ſufficeret neceſſariis: nunc quae dementia eſt, ſupervacua diſcere in tanta temporis egeſtate.* Fuerunt ergo actiones interrogatoriae veterum ICtorum ſaeculo in uſu, quarum per omnes Digeſtorum libros mentionem invenies. *l.* 39. *ff. de procurat. l.* 1. §. 15. *ff. ſi quadrup. pauper. fec. dic. l.* 18. §. *ult. ff. de probat.* & ſexcenta talia.

Quam-

Quamvis autem dixerimus, actiones inter-ogotorias aetate Calliſtrati fuiſſe in uſu; on tamen dicemus cum Wiſſenbachio *d. l.* 1. . 1. *ff. h. t.* ad rationem juris novi eſſe in-.exam. Dixi jam, de quibus ea ſit intelligenda, c infra erit amplius dicendi locus. Nec a ntentia Wiſſenbachii multum abiit Cl. Hu-erus, tametſi in fine explicationis ſuae ad *l.* 1. §. 1. *ff. h. t.* Tribonianum iterum ab-olvat. Errat vir Doctiſſimus, ut caeteri alii: rrat & magis, dum ejus explicatio dupli-em habet errorem. Alter in eo conſiſtit, quod dixit, Tribonianum nihil aut vix quid-quam ſub noſtro Titulo collocaſſe de actio-nibus interrogatoriis, propter verba, *eas minus frequentari & abiiſſe in deſuetudinem*, ſed co-pioſe egiſſe de interrogationibus, licet nec illae veteri modo ſolitae fuerint tempore Ju-ſtiniani. Fuit ille propemodum ſecutus Leo-nini ſententiam, de qua ſatis abundeque di-ctum eſt; quae, ſi tanti aeſtimas, relege, quae nunc non repetam. Alter & ille major eſt, quod in modo facit diſcrimen & in tempo-re. Olim fiebant interrogationes *in jure*, id eſt, ante litem conteſtatam, dein & poſt eam fieri coeperunt. Si interrogas Ulpianum, reſpondebit in *l.* 4. §. 1. *ff. h. t.* *Quod ait Prae-tor, qui in jure interrogatus reſponderit: ſic accipiendum eſt, apud Magiſtratum popul. Ro-mani vel Praeſides provinciarum vel alios judi-ces:*

ces: JUS enim eum ſolum locum eſſe, ubi juris dicendi vel judicandi gratia conſiſtat; vel ſi domi vel in itinere hoc agat. Hanc ipſam legem in *Eunomia Romana* Huberi reperies, nec verba *in jure* explicavit, ut indicarent ante litem conteſtatam. JUS ibidem locus eſt, ubi Praetor ſalva majeſtate, ſalvoque more Majorum, jus dicere conſtituit. *l.pen.ff. de juſtit. & jure.* Verum quidem eſt, quod ait, interrogationes olim ſemper fuiſſe factas ante litem conteſtatam. Illud tamen verba *in jure* in ſe non implicant. Et quod addidit interrogationes etiam fuiſſe factas poſt litis conteſtationem, incaſſum protulit, nec quidquam, quo id probetur, adfert. Judices Pedanei poſt litem conteſtatam formulis erant adſtricti, ultra quas, religio erat, egredi: non enim interrogabant judices Pedanei, verum a Praetore ſemper, vel alio magiſtratu interrogabatur ante litem conteſtatam, quod & obtinuit ad tempora Juſtiniani usque, ut demonſtrabimus Capite ultimo.

Sed videamus porro de ſententia Joannis Roberti. Is *Libr.* IV. *Sententiar. jur. Cap.* 18. comminiſcitur, duplices actiones interrogatorias extitiſſe, quarum aliae ante aliud ullum conſtitutum judicium proponi potuerint ex Praetoris Edicto; aliae ex reſponſionibus interrogati, etiamſi nulla alia adverſus eum competeret actio

tio; orirentur. Et hanc veram ſuiſſe actio-
m interrogatoriam, nec qualitatem alteri
diſſe, ſed per ſe ſolam actionem conſtitu-
e. *l.* 11. §. 9. *l. ult. ff. h. t.* Priores autem man-
ſe, poſteriores ſublatas eſſe: quum id ju-
non eſſet conſentaneum, ſine actione juſta
iquem in judicium detrahi, atque ſaepius
inconſulto minimeque meditato reſpon-
inde damno quem injuria affici. Hinc fa-
um eſſe, ut libellus ut iniquus rejici coepe-
t, & ſic tandem interrogandi ille mos ab-
rit, eoque res redierit, ut tantum in jure
terrogari poſſit, quoties adverſus reum jam
tio inſtituta eſſet. *l.* 11. §. 4. *l.* 19. *ff. h. t.* Et
uoniam pertracto jam in jus adverſario, u-
icumque aequitas judicem moverit, interro-
atio fieri potuerit, tam ante, quam poſt litem
onteſtatam. *l.* 21. *ff. h. t.* edita tamen prius
tione. *l.* 1. *ff. de edendo.*

Adducit & pro ſua ſententia & ſuas leges:
d profiteor ibidem nihil minus dici. Haec
eneas volo & ad nihilum recident omnia. Ne-
no poterat interrogare, niſi qui haberet a-
tionem. *l.* 9. §. 3. *h. t. de ſe quiſque debet in ju-
licio interrogari, id eſt, cum ipſe convenitur.*
oc eſt, ſi actor habeat actionem. Adde *l.* 13.
f. eod. Non quum edita eſſet actio, ut inquit
Robertus: nam edita actione non amplius ne-
eſſaria erat interrogatio, quippe interrogati-
nes inventae ſunt, ut actor cognoſceret qua-
lita-

litatem ejus, antequam adverſus eum, quem convenire volebat, ageret. *l.* 1. *ff. h. t.* eoque pertinent verba Ulpiani in *l.* 11. §. 1. *ff. eod. ſi quis, cum heres non eſſet, interrogatus reſponderit, ſic convenietur, atque ſi ex parte heres eſſet.* Sic etiam in eadem *l.* 11. §. 2. *ff. eod. Qui ex quadrante heres, vel omnino cum heres non eſſet, reſponderit, ſe heredem eſſe ex aſſe, in aſſem inſtituta actione convenietur.* adeoque, poſtquam interrogatum ſit, tunc demum inſtituitur actio & in aſſem convenitur reſpondens: nam poſt editam actionem, ſi egerit adverſus heredem tanquam ex aſſe, dum ex ſemiſſe eſſet, cauſſa jam ceciderat. Porro qui in jure interrogatus reſponderit, ſe heredem, ex ſua reſponſione convenitur. *l.* 5. *l.* 9. *pr.* & §. 5. *ff. h. t.* Non tamen ſola actione interrogatoria. Si enim actori non competat actio adverſus defuncti verum heredem, nec ille quoque, qui falſo reſpondit, tenetur ſola actione interrogariâ; alioquin ille, qui confeſſus eſt, ſe ſervum occidiſſe, etiamſi poſtea appareat, vivum eſſe ſervum, ex ſua reſponſione teneretur. Contrarium docet Ulpianus in *l.* 23 *ff. ad. Leg. Aquil.* Idem foret in ſimilibus confeſſionibus, quae ratae eſſent, licet id, quod in confeſſionem venerit, nec jus nec naturam recipere poſſet, contra *l.* 3. *l.* 14. *princ.* & §. 1 *ff. h. t.*

Neque dicendum eſt, id per ſucceſſionem tem-

temporis eo deveniſſe, ut nemo interrogaret, niſi qui haberet actionem: nam Paulus & praeſertim Ulpianus libro. XXII. ad Edictum egerunt de actionibus interrogatoriis, non alio ſenſu, quam quod nemo interrogatoria agere poſſet, niſi adeſſet alia actio quaedam, cui interrogatoria ut qualitas adjectitia accederet. Ita quoque locuti ſunt caeteri ICti de his actionibus, nec aliae unquam fuerunt notae. Quae praeterea Robertus habet, ex illis quae dicta ſunt, facile ſolvuntur.

Addam aliam ſententiam. Nam, ut plerumque ſolet, in re dubia quisque pro ingenio quidquam novi excogitare conatur, inde quot capita tot ſenſus, ſed alter altero melior. Joſephus Vela de Orena JCtus Hiſpanus *Tom.* I. *Diſſertat.* XXII. *Num.* 13. interrogationes in Jure ita explicat, quod olim illae potiſſimum ad litem praeparandam fierent, quum ſcilicet actor certa ac legitima actione niteretur, dubitaret autem vel de perſona ejus, adverſus quem proponere deberet, vel de proponendi modo, veluti an heres debitoris ſit? qua ex parte? & ſic porro. Quae interrogationes ad duplicem, ut philoſophatur, effectum fiebant. Primus ad judicium certificandum, tam reſpectu rei conveniendi, quam portionis, pro qua agendum eſſet. *l.* 1. *l.* 2. *l.* 3. *l.* 4. *ff. h. t.* Alter, ut reus conventus ex ſua reſponſione in princi-

pa-

pali quoque Jure adſtrictus maneret; ita ut confitendo, mentiendo, immo tacendo ſe ſe oneraret, & etiamſi heres debitoris non eſſet, ideutidem actione interrogatoria teneretur, quum actio alia adverſus eum nullo modo competeret. *l.* 4. *l.* 8. *l.* 11. §. 1. 2. 3. *ff. h. t.* Secundo modo fiebant, ex illius ſententia, ad litis deciſiones, ut ex reſponſo de ipſo principali actoris jure conſtaret, puta, an cum eo contractum reus celebraſſet, vel id feciſſet, ex quo ſibi actio competeret, ut & ſi etiam mentiendo contractum vel factum fateretur, interrogatoria actione, non minus quam eadem ipſa actione ex contractu vel facto prodita adſtrictus foret. *l.* 11. § 9. *l.* 20. *ff. h. t.* juncta *l.* 25. §. *ult. ff. ad Leg. Aquil.* Hae autem ſecundae interrogationes, quoniam nullum alium, ut putat, habuerint effectum ac finem, quam reum onerandi & ex ejus reſponſione interrogatoriam actionem actori quaerendi: Et primae, quoad ſecundum effectum, utpote reum ex contractu alterius obligantes ob ſolam confeſſionem plerumque imprudentem & inconſultam, idcirco ipſo ICtorum ſaeculo minus frequentatae ſunt, manentibus actionibus quoad primum effectum: quae tamen omnes a Triboniano in Digeſta ſunt relatae, quum ICti ordinem Edicti perpetui ſecuti eam quoque partem interpretati ſint.

Haec

Haec omnia, ni fallor, fere faciunt compoſitionem praecedentium ſententiarum. In Edicto perpetuo illud de *Interrogationibus in jure* ita fuit conceptum: QUI IN JURE INTERROGATUS RESPONDERIT, QUA EX PARTE HERES, BONORUMVE POSSESSOR SIT, ADVERSUS EUM EX SUA RESPONSIONE ACTIONEM DABO. Quod ICti veteres interpretati ſunt, nec aliae unquam fuerunt notae interrogationes, niſi una illa ſpecies, de qua eſt Edictum Praetoris. Nunquam interrogatio peracta eſt, ut ſciret actor adverſus quem agere deberet. Nam quisnam hominum tum interrogandus eſt? ſiebant tantummodo, V. C. an heres ſit, vel pro qua parte? ſimulatque ſcit eum eſſe heredem, perſonam quoque noſcit, adverſus quem agere debeat. *dd. ll.* Nemo etiam principali jure ex ſua reſponſione adſtrictus manebat, ita ut confitendo vel mentiendo ſe ſe oneraret, nulla alia competente actione, ut ſupra monui. Si quis enim, quum heres eſſet, reſponderit, ſe ex parte heredem eſſe, qui ex nulla eſt; vel heres ex quadrante reſponderit ſe ex aſſe; vel denique heres ex ſemiſſe dixerit ſe ex quadrante, an actione interrogatoria teneretur, nulla alia ſequente? id non docuit Ulpianus in *d. l.* §. 1. & 2. *ff. h. t.* ſed convenietur prae ea, de qua reſpo

 de.it

derit parte : & qui mentitus ſit , *mendacii hanc poenam fert, quod in ſolidum convenitur d. l.* 11. §. 3. *ff. eod.* Convenitur ergo actione quidem interrogatoria, non illa ſola, ſed ſimul actione principali, quam actor habet contra verum heredem: quia autem falſo reſpondit, convenitur ex ſua in judicio reſponſione, &, ſi cum eo actum ſit, verus heres liberatur. *l.* 8. *ff. h.t.* Adeoque quoniam reſpondit, eo ipſo non tenetur. Licet enim actor rei conveniendi cognoſcat qualitatem, veluti eum eſſe heredem & pro qua parte, non ſtatim tenetur: quum ex reſponſione non conſtet, actorem defuncti eſſe creditorem; ſed tenetur, ſi debitum probatum ſit, ad quod ſi verus heres defuncti non teneatur, reſpondens quoque ex ſua reſponſione, licet falſa, conveniri non poteſt. *l.* 12. §. 1. *ff. h.t.* In ſumma Falſo reſpondens non tenetur ex ſua reſponſione, ſi actor non habeat aliquam actionem adverſus eum, pro quo reſponderit. *l.* 9. §. 4. *l.* 13. *ff. h.t.*

Quod pertinet ad ſecundas interrogationes. Incidit in eundem fere errorem, de quo jam egi, niſi quod interſit, quod in prioribus interrogatus teneretur actione interrogatoria, nulla alia ſequente; nunc vero, quod, qui confeſſus eſt, ſe cum alio contractum celebraſſe, vel etiam ſi mentiendo contractum vel factum fateretur, lis ſit finita, ita ut ſua re-

reſponſione de principali actoris jure conſtaret, quia, ſi reſponderit ſuum eſſe contractum, quod in principali judicio ex contractu quoque teneatur. Verum, ſi interrogatus reſponderit, ſe cum actore contractum celebraſſe, eo ipſo lis non finitur, nec cogitur ſolvere illud, quod in contractu comprehenſum eſt: convenitur quidem, qui falſo reſpondit loco ejus, qui re vera contraxit; non tamen eo reſpondente de ipſo principali actoris jure quidquam liquet, ſed tantum de qualitate ejus, adverſus quem principalis actio eſt inſtituenda. Conſtat ergo de facto, non ſtatim de jure. Id indicant verba Ulpiani in *l.* 11. §. 9. *ff. h. t. Qui interrogatus reſpondit, ſic tenetur, quaſi ex contractu obligatus, pro quo pulſabitur, dum ab adverſario interrogatur.* Editio Norica habet *ex contractu ejus.* Sic quoque Baudoza. In Florentina bene omittitur *ejus*, ut & in aliis Editionibus. Senſus eſt apertus. Interrogatio & ad eam reſponſio ſpecies eſt quaſi contractus, non vero principale quidquam, ſed principalis actionis acceſſio. Sin quis delicatior velit ſervare *ex contractu ejus*, quod per me licet, ſenſus erit: Interrogatus tenetur ex contractu, quem alius celebravit, ſi ſcilicet actor probaverit debitum eſſe liquidum, *pro quo pulſabitur*, id eſt, principali judicio ex contractu alterius, dum ab adverſario in-

Digitized by Google

terrogatus ſit, convenietur. Graeci habent ὁ ἐρωτηθεὶς καὶ ἀποκρινόμενος ἐνέχεται, ὡς ἀπὸ τοῦ πρωτοτύπου συναλλάγματος. *Qui interrogatus reſponderit, tenetur quaſi ex contractu principali.* Quod verum eſt, ſi actor docuerit, mutuum, cujus mentionem facit contractus, ſibi deberi: nam tum omnino, qui mentitus eſt, quaſi ex principali contractu tenetur. Secus ab initio: nam, licet reſponderit, non ilico ex principali contractu tenetur, ſed tum demum, quum cauſſa contractus inſtituta actione interrogatoria juncta ſimul actione principali ſit probata. Similis eſt ſenſus *d. l.* 20. *ff. h. t.* Qui dixerit ſe ſervum occidiſſe, quem alius occidit, tenetur actione Legis Aquiliae interrogatoria, ſi modo ſervus occiſus ſit; ſin minus, non tenetur: quoniam dominus ſervi non habet actionem. Occiſo ſervo, ſi reſpondens ſolvendo non ſit, verus tamen occiſor tenetur, quia hic duo tenentur in ſolidum: alter ex ſua reſponſione & mendacio, alter ex ſua perſona & ſuo nomine: non enim debet impunitum manere delictum ejus qui fecit, propter eum, qui reſpondit. Poſſet, non inficior, fieri, ut interrogatus, an heres ſit, non tantum reſpondeat ſe heredem, ſed etiam illud, quod inſtituta actione principali petendum erat, confiteatur ſe debere: quo in caſu & de facto & de jure reſpondet, quia potius vult cedere quam liti-

litigare, nec ulla amplius eſt quaeſtio, vel eſſe poteſt, an ex reſponſione detur actio interrogatoria, ut recte obſervat Antonius Faber in *Rational. ad d. l.* 11. §. 9. *h. t.*

Satis, opinor, nunc conſtat, actiones interrogatorias quoad primum effectum ICtorum Veterum ſaeculo fuiſſe in uſu, nec alias unquam fuiſſe notas, quod erat demonſtrandum.

Cl. Noodt in *Commentar. ad h. t.* monet, ne certi ordinis ſubtilitatem quaeras, quum id licuerit, ut inquit, in ſuperioribus libris, id in praeſenti non licet. Verum in prioribus prius actum erat, de judiciis, de actionibus in rem, de actionibus perſonalibus, de actionibus in rem ſcriptis, ac dein de actionibus tam in rem quam in perſonam; quae omnes in Edicto perpetuo paulo ante actiones interrogatorias recenſentur, quem ordinem etiam ICti, qui ad Edictum perpetuum ſcripſerant, ſervarunt. Si fluctues, evolve leges, quae deſumtae ſunt ex Ulpiano Libris XV. XVI. XVII. XVIII. XIX. XX. XXI. ad Edictum. Hiſce abſolutis Ulpianus Libro XXII. egit de actionibus interrogatoriis. *l.* 2. *l.* 4. *l.* 6. *l.* 9. *l.* 11. *l.* 21. *ff. h. t.* Tribonianus quoque eundem ordinem Edicti perpetui fere fuit ſecutus. fere, inquam: quum id non ſemper praeſtiterit nec etiam debuerit. Habes Juſtiniani mandatum in *l.* 1. §. 5. *C. de vet. jur. enucl.* Conſule Ampl. Praeſid. Cor-

 nel.

nel. van Bynkershoek *Lib.* 11. *Obſervat.* 25. Et exemplum vides, quod prius egerit de actione ad exhibendum; quam in Edicto perpetuo poſt actiones interrogatorias invenies: nam de illa dixit Ulpianus in Libro XXIV. de his vero Libro XXII. ad Edictum. Quod ad Edictum de interrogationibus in jure, ordinem nihilominus obſervavit. Prius tractauerat de omnibus illis actionibus, quas ſupra recenſui: dein pergit ad actiones praeparatorias actionum perſonalium.

Multa praeterea habentur ſub hoc Titulo, de noxalibus actionibus, habentur & alia, ut de interrogatione heredis propter *l.* 2. §. *ult. ff. famil. erciſcund.* Hinc eſt, quod nullus hic legum ordo reperiatur: nam actio interrogatoria, ut ſemel atque iterum dixi, per ſe non ſubſiſtit, niſi accedat alia actio principalis. Voluit tamen Tribonianus omnes ſpecies, in quibus interrogationes in jure locum habent, enumerare atque recenſere. Alia dabit Cujacius *Paratit. ad h. t.*

C A-

Caput II.

DE ORIGINE INTERROGATIONUM IN JURE.

De origine Interrogationum, ut dicamus, ratio poſtulat. Calliſtratus, unde petenda ſit, docet in *l. 1. ff. h. t. Totiens heres* [*in jure*] *interrogandus eſt, qua ex parte heres ſit, quotiens adverſus eum actio inſtituitur, & dubitat actor, qua ex parte is, cum quo agere vult, heres ſit. Eſt autem interrogatio tum neceſſaria, cum in perſonam ſit actio, & ita ſi certum petatur: ne, dum ignoret actor, qua ex parte adverſarius defuncto heres exſtiterit, interdum plus petendo aliquid damni ſentiat.* Singula explicabo & res erit clara.

Verba [*in jure*] duobus uncinulis ſunt incluſa, non quaſi [ ] nota eſſet, verba, quae illis includuntur, non inveniri in Archetypo Florentino: nam *in jure* in Exemplari Florentino reperiuntur: quod, ſi inſpicias, patebit ſtatim. Fuit haec Taurellii inter quinque ejus notulas una, ut recognoſcamus, illa in MSto Florentino non legi. Saepe tamen in Editionibus [ ] vel *//. //.* habetur, quae non ut Taurellii nota eſt cenſenda, ſed quam Ruſſardus oſtentationis gratia Editioni ſuae addidit, ut quiſque ſciret, quantum

Digitized by Google

hac ſua Editione praeſtitiſſet : nam virgulis incluſit, quae reſtituta ſunt a Taurellio: incluſit quoque illa, quae non inveniuntur in Editione Haloandrina. Oſtendit id quidem recte Jauchius in *Meditat. Critic. de negat. Pand. Florentin. Cap.* VIII. ubi omnium Doctorum ſententias de illis virgulis adduxit. Sed potuerat non male & ſine periculo laudare Ampl. Praeſid. Corn. van Bynckershoek ad *l.* 40. *ff. de reb. cred.* a multis lectam & ab eo intellectam *Cap.* XI. qui jam dudum fere omnia quae Jauchius protulit, ante eum animadverterat, quaeque nunc fruſtra, ſuppreſſo Ampl. Bynkershoekii nomine, pro ſuis venditat. Sed hoc in tranſitu.

Totiens, inquit ICtus, *heres* [*in jure*] *interrogandus eſt, qua ex parte heres ſit, quotiens adverſus eum actio inſtituitur, & dubitat actor, qua ex parte is, cum quo agere vult, heres ſit.* Ex illis dilucide probatur, neminem interrogare poſſe, niſi qui actionem habeat aliquam, nec aliquid facere alicujus reſponſionem, non accedente alia actione principali. Si neſciat quis, qua ex parte is heres ſit, adverſus quem actio erit inſtituenda, totiens in jure interrogandus eſt heres. Heres enim interrogandus non eſt, ſi nullam habeat actionem interrogans : quia ejus, qui interrogat, non intereſt, qua ex parte alter heres ſit. Conſtat igitur, eos, de quibus jam monui

nui *Capit. praeced.* errare, quum dicunt, interrogationem demum fieri actione propoſita & propoſito libello. Debet interrogari, quotiens actio erit inſtituenda & quum actor dubitat, qua ex parte is, *cum quo agere vult*, heres ſit.

Eſt interrogatio tum neceſſaria, cum in perſonam ſit actio & ita ſi certum petatur. Ergo ſi non ſit actio aliqua, interrogatio non eſt neceſſaria. Quur *ſi certum petatur?* quia in actionibus incerti, utpote judiciis bonae fidei certum non petitur, ſed tantummodo, quod ex bona fide dari fieri oportet. Heres, ſi certum petatur, interrogari debet propter metum plus petitionis: nam ex Leg. XII. Tabb. nomina inter coheredes ipſo jure erant diviſa *l.* 2. §. *ult. ff. famil. erciſc.* Adi Cujacium ad *Libr.* 11. *Quaeſtion. Pauli l.* 20. §. 1. *ff. h. t.*

Ne, dum ignoret actor, qua ex parte adverſarius defuncto heres èxſtiterit, interdum plus petendo aliquid damni ſentiat. Interrogationes inventae ſunt ob poenam plus petitionis. Olim, qui plus petebat, cauſſa cadebat. §. 33. *Inſt. de action.* Multas refercirem paginas, ſi late agere vellem de *plus petitionibus*, & oſtendere, *cauſſa cadere* idem eſſe ac *litem perdere*: nihil aliud id foret, quam jacturam temporis facere. Alii id fecerunt. Briſſonius *Libr.* V. *Formul. pag. m.* 386. *Libr.* IV. *Antiquit. Cap.* 10. Raevardus *Libr.* III. *Varior.*

Cap. 14. Budaeus ad *l.* 2. §. 24. *ff. de orig. jur.* Turnebus *Libr.* XXIV. *Adverſar. Cap.* 3. Torrentius ad *Tranquillum* in *vita Claudii Cap.* 14. Et Doctores, qui ſcripſerunt ad Titulum Codicis de *plus petendo.* Et neſcio qui non alii, quorum nomina ſunt in Lexicis.

Periculum plus petitionis facile in actionibus perſonalibus accidere potuit. Probatu difficile erat, aliquem eſſe heredem; ſin heres erat, difficile quoque erat probare pro qua parte. Aditio hereditatis facti eſt & animi, quae non tam facile probantur. Quid igitur ſi quis plus petat, quam ad ſe pertinet, vel heredem conveniat in aſſem, qui eſt ex parte? Audi Paulum *Libr.* 1. *Recept. Sentent. Tit.* 13. §. 5. *hereditas pro ea parte peti debet, pro qua ad nos pertinet, alioquin plus petendo periculum incurrimus, & cauſſam perdimus.* Adde Conſultationem veteris cujusdam ICti, quae eſt in *Jurisprudentia Ante-Juſtinianea* Cl. Schultingii pag. 818. Cavendum itaque eſt, ne actor plus petat: quum non facile, ſi plus petiiſſet, a Praetore in integrum reſtituatur, niſi ſi minor ſit viginti quinque annis, vel tam magna juſti erroris cauſſa intervenerit, ut etiam conſtantiſſimus quisque labi poſſet; tunc enim & majoribus viginti quinque annis ſuccurrebatur. §. 33. *Inſt. de action. l.* 11. §. 3. 8. 11. *& ſeqq. ff. h. t.*

Concoquere nequeunt Docti quidam viri ver-

verba Calliſtrati, *ne interdum plus petendo aliquid damni ſentiat.* Non dubitat Raevardus *Libr.* III. *Varior. Cap.* 14. quin ſcripſerit ICtus ne *interdum plus petendo cauſſa cadat.* Sed pro *cauſſa cadat*, ſcripſit Tribonianus *aliquid damni ſentiat.* quod idcirco repoſuit, quia jus antiquum Zenonis & Juſtiniani Conſtitutionibus coarctatum eſt. Sic quoque Briſſonius *Libr.* V. *de Formul. pag. m.* 386. & ut curioſam obſervationem laudat Cl. Noodt *in Commentar.* ad *h. Tit.* Mirum eſt, & illud non obſervaſſe ex aliis Wiſſenbachium. Sed dicam, quod res eſt. Antiqua Jurisprudentia ruinam minatur, ſi hanc illorum rationem ſequamur. Nam quanti pretii erunt fragmenta ICtorum, quae in Digeſtis nobis exhibentur? Quae auctoritas nominum veterum ICtorum, quae in fronte cujusque legis vides? Nihil erit, niſi confuſum chaos, ſi pro lubitu hanc legem a Triboniano ad jus novum inflexam pronuncies: illam vero de eo, quod apud majores obtinuit, intelligas. Potius inquirenda erat ratio, ob quam ICti tali locutionis genere uſi fuerint, quam ut ſtatim Tribonianum, in illorum ſcriptis male verſatum fuiſſe, ſtatuamus: hujusmodi enim explicatio non eſt admittenda, niſi res aliter ſalva eſſe nequeat: quod vix eſt, ut in Pandectis fieri poſſit. Si Tribonianus hic pro *cauſſa cadat* propter jus novum Zenonis

&

& Juſtiniani ſcripſiſſet, *aliquid damni ſentiat:* quur non aeque in *l.* 95. §. 11. *ff. de ſolution.* & in *l.* 45. §. . *ff. de jur. fiſc.* ſcripſerit *aliquid damni ſentire?* deberet id omnino, ſi propter jus novum verba veteris ICti mutaſſet Tribonianus. Non eſt novum, locutiones *damni aliquid* vel *detrimenti quid* pro omni damno vel detrimento alicujus rei ſumi. Locus eſt notiſſimus Ciceronis, quem ideo adduco, *Libr.* XVI. *Epiſtolar.* 11. *Ne quid Reſpub. detrimenti caperet:* pergit Tullius: *nunquam in majore periculo civitas fuit.* Vid. Burmannum ad *Phaedrum Libr.* II. *Prolog. verſ.* 10. & ad Ovidium *Libr.* I. *Faſtor. verſ.* 484. Sunt hujusmodi exempla apud auctores multa. Sed hoc profecto nemo ignoravit, etiam priusquam Theognis naſceretur.

Vellem hoc pro regula teneri, quod, ſi teneas, Tribonianum ſaepe potes eximere de labe, quam ei Docti & non Docti quotidie adſpergunt. Non ſolent ICti ſemper, quum de jure agunt, rem totam, quae quotidiani erat uſus, reſponſis atque ſententiis adjungere, ſed ſaepe aliis ſimilibusque verbis mentem exprimere, quo tamen in caſu ſatis pro ſubjecta materia percipi poſſunt. Ita ſolent ICti. Ita ſolemus & nos quotidie, quum ſcribimus, quum loquimur, conciſe verba facere, & ſaepe brevitate in aliqua dicendi ſcribendique parte uti, quae nihilominus

pro

pro materia, qua de agitur, a quovis intelliguntur. Quid? an id moris olim fuit, vel hodie unquam eſt, ut totam iſtius rei quotidianae, de qua ſermo fit, hiſtoriam narremus? Si ita procederes, riſum moveres. Nihil pura & illuſtri brevitate eſt dulcius, ſi pondus ſit in verbis, ſi ſententiae vel graves ſint, vel aptae opinionibus hominum & moribus, teſte Cicerone *Orat. Partit. Cap.* XIX. Nonne clara erant Calliſtrati verba, quum dixiſſet, interrogationem eſſe neceſſariam, *ne* (actor) *plus petendo aliquid damni ſentiat?* Notiſſimum erat, plus petentium poenam aetate Calliſtrati eſſe, ut plus petitor *cauſſa caderet*, quod ICtus per verba *ne plus petendo aliquid damni ſentiat* indicare voluit: adeoque Calliſtratus de more ſui temporis agens aliter accipi nequit, quam ut is, qui plus petiit, formula cadat. Sic quoque Ulpianus in *l.* 5. *ff. h. t. qui interrogatus an heres, vel quota ex parte ſit, ... ad deliberandum tempus impetrare debet, quia ſi perperam confeſſus fuerit, incommodo adficitur.* Quodnam illud incommodum? ut ſcilicet, ſi reſpondiſſet ſe heredem, inſtituta actione in aſſem conveniretur. An neceſſarium erat, ut haec omnia adderet ICtus? ſatis, credo, intelligitur. Adjecit haec in *l.* 11. §. 2. *ff. h. t.* quae tamen omitti poterant. Similiter in *l.* 6. §. 1. *ff. eod. ne aut negando praejudicet ſibi.* quod-

quodnam praejudicium ? illud habetur in *l.* 11. §. 4. *ff. h. t.* Saepius tamen ICti ſe explicant per verbum *teneri. l.* 7. *l.* 12. *l.* 15. *l.* 16. §. 1. *l.* 17. *ff. eod.* Amavit ergo Calliſtratus brevitatem, amavit & Ulpianus, amarunt & omnes ICti. Sed in viam.

Antequam actor agat, interrogare debet, an adverſarius heres ſit & pro qua parte, ne alioquin interdum *plus petendo aliquid damni ſentiat:* id eſt, ne actor in aſſem inſtituta actione adverſus heredem, qui tantum heres eſt pro parte, cauſſa cadat. In Albo Praetoris ſcriptum erat, eum, qui non, quemadmodum oportet, egerat, cauſſa caſurum eſſe. Et hae ſunt illae exceptiones, quas Seneca *Epiſt.* XLIII. *turpes* atque *infames* vocitat. Putarem tamen interrogationes non tantum fuiſſe inventas, ne quis re vel ſumma, verum etiam ne quis tempore, loco & cauſſa plus peteret, quum in omnibus eadem ſit ratio. De tempore id certiſſimum eſt in *l.* 11. *ff. h. t. De aetate [quoque] interdum interrogatur.* Nunc puto conſtare de origine Interrogationum.

Ex Interrogationibus ortae ſunt actiones interrogatoriae. Qui reſponderat ſe heredem & pro qua parte, de principali actoris jure nihil dixerat, ac proinde pro confeſſo non habebatur; verum actione interrogatoria ex ſua reſponſione conveniebatur, ut ſimul inſti-

ſtituta actione pro ea parte teneretur, pro qua reſponderat. *l.* 11. §. 2. 3. *l.* 22. *ff. h. t.* De illis Praetor Edictum propoſuit, quamvis & ante illud aliae fuerint notae, quibus abutebantur veteres: quae cauſſa fuit, quur Praetor omnes illas amputaverit, &, ut ordine interrogationes fierent, Edictum illud *de Interrogationibus in jure faciendis & de Interrogatoriis actionibus* denunciavit. Ad antiquas interrogationes procedo: me ſequere, ſi lubet.

CAPUT III.

DE ANTIQUIS INTERROGATIONIBUS, EARUMQUE ACTIONIBUS.

Plurimum prodeſt ad verum legis ſenſum inveſtigandum indagandumque, ut inprimis perquiramus cauſſam ac legis rationem, quae ad illam ferendam moverit legislatorem: praecipue ſi conſtet, plures fuiſſe rationes. Edictum de *Interrogationibus* edidit Praetor: cui tamen aliquid anſam dediſſe, & ante illud aliquid praeceſſiſſe res ipſa loquitur: ſiquidem nihil fere novis inducitur legibus, niſi ad aliquid mali praecedentis tollendum & abuſum rei alicujus ad meliorem uſum convertendum. Fiebant itidem olim interrogationes extrajudiciales, ex quibus antiquae orieban-

bantur actiones interrogatoriae; de quibus nunc dicam.

Lege XII. Tabb. cautum erat, NOMINA PRO PORTIONIBUS INTER HEREDES ERCTA CITA SUNTO. Si ergo teſtator plures inſtituiſſet heredes, quisque poſt mortem teſtatoris pro ſua tenebatur portione, & actor poſt legem XII. Tabb. ante tempora Edicti de *Interrogationibus in jure* ſine amiſſione totius rei agere haud poterat, quum metuendum eſſet, ne actione inſtituta conveniret heredem in aſſem, qui tantum eſt ex parte: neſcit enim, quot ſint heredes: neſcit ex quota quisque parte. Si unum conveniat heredem, ubi plures ſunt, formula ac cauſa cadit, quod plus petebat, quam quantum lex in XII. Tabulis permiſerat, teſte Cicerone *Libr.* I. *De Oratore. Cap.* 36. Quae plus petitionis poena tamen non deſcendit ex lege XII. Tabb. ſed ex Edicto Praetoris: *nam & Praetoriis exceptionibus multae excluduntur actiones, & ita jus civile habemus conſtitutum, ut cauſſa cadat is, qui non, quemadmodum oportet, egerit*, ut idem Tullius ait *Libr.* II. *De Invent. Rhetor. Cap.* 19. Hinc Jacobus Gothofredus in ſerie Edicti perpetui prius propoſuit Edictum *de forma agendi* ac dein de *plus petendo.* Videatur Raevardus *Libr.* I. *Varior. Cap.* 14. Ex illis vero conſtat, non ſtatim poſt Edictum

illud

illud Praetoris, quo poena plus petitionis erat introducta, etiam Edictum fuiſſe editum de *Interrogationibus in jure*. Inſpice ICtos, qui ad Edictum perpetuum ſcripſerunt, ex quorum fragmentis Jacobus Gothofredus dictam Edicti perpetui ſeriem confecit: nam ibidem initio occurrit Edictum de *pluspetendo*, & longe poſt Edictum de *Interrogationibus in Jure*. Adeoque, quamprimum de poena plus petitionis cautum eſſet, quivis etiam, ne male ageret; adverſarium domi interrogabat, an heres eſſet, & pro qua parte; qui, ſi ad interrogatum reſpondiſſet, actione interrogatoria conveniebatur. Sane reſponſio illa haberi non poterat pro confeſſione, quum nihil dictum eſſet de principali actoris jure, ſed tantummodo de qualitate ejus, adverſus quem in poſterum agetur. Quaeras fortean, an reſponſio haec non fuerit genus probationis? non perverteretur mea ſententia; ſi modo haec cum mica ſalis accipias. Qui dixerat ſe heredem, quod poſtea negabat, poterat actor, puta, teſtibus, ſi adfuiſſent, probare, adverſarium reſpondiſſe ſe heredem: non tamen eo probatur, eum reſpondiſſe de principali actoris jure, quo lis finiatur. Sed quia probatur eum reſpondiſſe, ex ea reſponſione naſcebatur actio interrogatoria; ut ſcilicet pro ea, qua reſpondit, parte, conveniatur. Hae Interrogationes Veteres, ſi ſine dolo frau-

deque fierent, eundem habebant uſum, eundemque effectum, ac fere eodem peragebantur modo, quo poſtea ex Edicto Praetoris. Inde factum eſt, ut ICti toties voces illas IN JURE & APUD PRAETOREM inculcaverint; quod fruſtra fieret, ſi interrogationes ab initio ſemper IN JURE fuiſſent uſitatae. *l.* 7. *l.* 9. §. 7. *l.* 14. *l.* 15. *l.* 16. *l.* 20. §. 1. *ff. h. t.*

Nec aliter Ulpianus in *l.* 39. *ff. de procurat. Non ſolum autem in actionibus & interdictis & in ſtipulationibus, debet dominum defendere: verum in interrogationibus quoque, ut in Jure interrogatus ex omnibus cauſſis reſpondeat, ex quibus dominus. An igitur heres ſit abſens reſpondere debebit, & ſi reſponderit, vel tacuerit, tenebitur.* Ita Florentiae eſt editum. Alii una ejecta litera legunt, *an igitur heres ſi abſens*, ut teſtatur Baudoza. Tentaveram olim *an igitur heres ſi ſit abſens:* putabam enim ſcriptum fuiſſe SIt, hoc eſt, ex geminationis regula *ſi ſit.* Et quum de illa Lege ſermo incidiſſet cum amico meo J. Hop, quem honoris cauſſa nomino, ipſi quoque Lex ſic emendanda videbatur: verum re accuratius expenſa ſine ulla emendatione Ulpiani verba facile intelliguntur. Illi autem, qui *d. l.* corrigunt, eam exponunt, quaſi procurator interrogatus in jure reſpondere debeat, an heres ſit abſens, & ſi reſponderit vel tacuerit, eum teneri. In hac ſententia

ſunt

ſunt Gloſſ. & Brunnemannus ad *d. l.* Sed quid ſi procurator reſponderit heredem eſſe abſentem, ad quid tenebitur propter reſponſionem actione interrogatoria? Non dicunt illi. Nunquam in jure interrogatum fuit, an heres ſit abſens? Hic tantummodo quaeſtio eſt, an procurator reſpondere cogatur, num abſens dominus, quem defendit, heres ſit, & pro qua parte? & illud eſt, quod hic adfirmatur. Domini quidem proprie eſt interrogari: non impedit tamen, quominus procurator loco domini in jure interrogatus quoque reſpondeat ex omnibus cauſſis, ex quibus dominus: propterea quod interrogationes aliarum actionum ſint praeparationes; quod ſatis indicant verba; *debet dominum defendere.* Non ergo hic quaeritur de alicujus abſentia, ſed de qualitate perſonae, adverſus quam actio erit inſtituenda. Synchyſis eſt in verbis *d. l.* nam illorum ordo confuſus eſt. Dixerat Ulpianus, procuratorem non ſolum in actionibus &c. debere dominum defendere; *verum in interrogationibus quoque, ut in jure interrogatus ex omnibus cauſſis reſpondeat, ex quibus dominus.* Quid inde ſequitur? *Igitur an abſens ſit heres reſpondere debebit; & ſi reſponderit, vel tacuerit, tenebitur.* Si ita conſtruas verba, ſenſus eſt perſpicuus, nec pluribus opus eſt. Eodem forte modo trajicienda ſunt verba Baſilikῶn: quamvis probabile

 ſit,

ſit, Graecos ea intellexiſſe, ut priores diſſentientes. Hoc addam, Pratejum *Libr.* 1. *Geminat. Cap.* 31. exiſtimaſſe, bis eandem Ulpiani ſententiam recitari: ſemel in *l.* 35. §. 2. *ff. de procurat.* ſemel in noſtra *l.* 39. *ff. eod.* Sunt enim ex eodem Libro XIX. Ulpiani ad Edictum: Hinc in *l.* 35. §. 2. poſt verba *in competenti tribunali & eadem Provincia*, interjecit *& in interrogationibus*: quae ſupplevit ex *l.* 39. Et verba ibidem *in jure interrogatus ex omnibus cauſſis reſpondeat ex quibus dominus* Architectorum verba eſſe ait: quum verbo *defendere* relato ad verbum *interrogationibus* id comprehenſum ſit. Non obſervavit Pratejus ICtos ſaepe, Oratorum more, ſolitos fuiſſe per ἀνακεφαλαίωσιν atque per enumerationem rerum diſperſarum, ut clarius rem totam ante oculos ponerent, in ſummam redigere, de quibus egerant. Edictum illud *de procuratoribus*, ut ſuſpicor, tantum agebat de actionibus, in quibus procurator dominum defendebat. Si autem tam anguſto ſenſu Edicti verba conſiderata fuiſſent, nec in interdictis, nec in ſtipulationibus procurator admitti potuiſſet. Verum ſcire leges, non eſt verba tenere, ſed vim ac poteſtatem. Licet igitur Edictum actionum tantum faciat mentionem, nil obſtat, quur non aeque in praejudiciis & in interdictis & in ſtipulationibus procuratori locus eſſet. Hactenus Ulpianus in *l.* 35. §. 2.

Non-

Nondum abſolverat ICtus. ſed repetit ea, quae jam ante dicta erant; ut omnia, quae ad Edicti ſenſum referri poſſunt, monſtraret, oſtenderetque. *Non ſolum in actionibus & in interdictis & in ſtipulationibus debet dominum defendere:* ſed quod magis eſt, *in interrogationibus quoque, ut in jure interrogatus ex omnibus cauſſis reſpondeat, quibus dominus ex d. l.* 39. Particula *quoque* dirigitur ad aliquid praecedens: quia ante illud Edictum procurator interrogare interrogarique non poterat: quum olim quisque, quod ſuum erat, ipſe petere poſſet; quod tamen poſtea moribus mutatum fuit, & ſic ſenſim exſtiterunt procuratores, qui alios defenderent; de quibus dein Edictum propoſuit Praetor, ut etiam diximus de Edicto *Interrogationum in jure.* Nimis liberalis eſt Pratejus in libro, quem vocat *Geminationum:* quum nullam fere habeat, cui non poſſet ex intentione veterum ICtorum geminationis reddi ratio.

Debet dominum defendere; Verum in interrogationibus quoque, ut in jure interrogatus ex omnibus cauſſis reſpondeat, ex quibus dominus. An non ſufficit *in interrogationibus?* Quur ergo adduntur verba *ut IN JURE interrogatus &c.?* Satis erat, ſi nunquam, niſi IN JURE factae fuiſſent interrogationes, ICtum dixiſſe, *in interrogationibus quoque, ut ex omnibus cauſſis reſpondeat, ex quibus dominus.* At res ita ſe habet. Ante Edictum de Interrogatio-

nibus in jure nemo cogebatur reſpondere; quod tamen poſtea per Edictum mutatum eſt, quum omnes poſt illud IN JURE interrogati cogantur reſpondere: quamobrem addidit verba *ut in jure interrogatus &c.* Idem Ulpianus in *l.* 10. §. 4. *ff. h. t. qui tacuit APUD PRAETOREM, in ea cauſſa eſt, ut inſtituta actione in ſolidum conveniatur.* Quur APUD PRAETOREM? Ad differentiam nempe Veterum Interrogationum, quae extra jus abſque Praetoris praeſentia fiebant. Sed quia probatu ſaepiſſime difficile erat, quid rogatum, quid reſponſum fuiſſet, ſi interrogatus ſe reſpondiſſe negaſſet; de Interrogationibus in Albo Praetoris Edictum eſt propoſitum.

Uſus antiquarum Interrogationum idem erat, atque eſt earum, quae Praetoris Edicto introductae ſunt. Sed antiquae abuſibus laborabant, in iiſque erat defectus maximus. Quod ad abuſus pertinet. Primus in eo conſiſtebat, quod frequenter laqueis inſidioſarum interrogationum conabantur alios implicare: adeo ut interrogatus, qui ex ſemiſſe heres erat, ex aſſe teneretur. v. c. AIO TE LUCII TITII HEREDEM, EX CUIUS HEREDITATE CENTUM MIHI DEBENTUR, POSTULO ANNE FIAS AUCTOR? Hic, ſi reſpondiſſet ſe heredem, ac propterea ſe auctorem fieri, in ſolidum conveniebatur.

Non-

Nonne percipis dolum? Qui interrogabat, certo ſciebat, interrogatum pro parte tantum eſſe heredem, non vero ex aſſe: ne tamen plures, ſed unum, quod ſibi commodius erat, heredem conveniret, placidis & ſuavibus verbis alterum pronunciabat heredem, quaerebatque, num fieret auctor. Quid tum? ſi reſpondiſſet, actione inſtituta in aſſem conveniebatur: eo quod heredem ſe dixerat. Nec proderat, ſi deceptus verba ſua, utpote illorum interpres optimus, interpretaretur, ſe per *heredem* intellexiſſe, heredem ex parte, non autem ex aſſe: quum & is dicatur heres, qui ex parte eſt, ſicuti pars hereditatis etiam hereditas eſt. *l.* 50. §. 2. *ff. de hered. Inſtit.* atque pro ea parte ſe reſpondiſſe auctorem. Nihil, inquam, haec interpretatio proderat: quoniam actor teſtibus, qui dum interrogaretur, praeſentes erant, probabat, interrogatum reſpondiſſe ſe heredem.

Curabant enim interrogatores illi, ut ſemper adeſſent teſtes, qui, quod reſponſum erat, de eo teſtimonium praeberent. Auctorem ejus, quod dico, laudo Modeſtinum in *l.* 58. *ff. ſolut. matrim. Servus dotalis heres ab aliquo inſtitutus, mariti juſſu vel adire vel repudiare debet hereditatem. Sed ne maritus aut facile repudiando vel temere ſuſcipiendo incognitam ſucceſſionem dotis judicio uxori ſuae obligetur; conſulendum eſt, mulierem CORAM TE-*

STIBUS INTERROGARI, utrum velit omittere an adquirere hereditatem. & ſic porro. Non loquitur quidem Modeſtinus de interrogationibus, quae olim in actionibus perſonalibus obtinuere; ſed ſaltem id conſtat, Veteres domi teſtibus praeſentibus interrogaſſe, ex qua interrogatione reſpondens manebat obligatus, ut, adita hereditate incommodum, ſiquod ſiet, non in maritum, verum in uxorem redundaret.

Idem fiebat quoque in interrogationibus: ut, ſi quis reſpondiſſet ſe heredem, qui ex parte tantummodo erat, ex aſſe teneretur. Quid aliud fuiſſe putes, quod moverit Cajum, quum dixit in *l.* 5. *ff. h. t. qui interrogatur, an heres vel quota ex parte ſit . . . . . . ad deliberandum tempus impetrare debet: quia, ſi perperam confeſſus fuerit, incommodo adficitur?* ne is, ſcilicet, qui interrogatur ignorans, qua ex parte ſit heres, alieno nomine ex ſua interrogatione teneretur. Male Antonius Faber in *Rational.* ad *d. l.* haec accipit de deliberandi tempore, utrum adeat an repudiet hereditatem: nam datur interrogando deliberandi tempus, quum neſciat an heres & ex quota ſit parte, ut bene reſpondeat. Illud tamen in antiquis interrogationibus locum non habuit, nec etiam habere potuit. Qui enim alium inducere vult, ne momentum quidem ei relinquit, ut interrogatus deliberet. Similiter, ſi cui ab alio controverſia hereditatis moveatur, & ab eodem inter-

ter-

terrogetur, an heres ſit, & reſpondeat, ſe heredem eſſe, poſtea ablata & alii adjudicata hereditate reſpondens conveniebatur ex ſua reſponſione. Aliud poſt Edictum obtinet in *l.* 6. §. 1. *ff. h. t. Interdum interrogatus quis, an heres ſit, non cogitur reſpondere, ut puta, ſi controverſiam hereditatis ab alio patiatur (& ita Divus Hadrianus conſtituit) ne, aut negando ſe heredem, praejudicet ſibi, aut, dicendo ſe heredem, illigetur, etiam ablata ſibi hereditate.* Denique interrogatus, an heres ſit, dum deliberat, adire an repudiare velit hereditatem, quotidie griphis atque ſuavibus verbis ab homine, quem putabat bonae eſſe fidei, interrogatur. Aliud ſimulatur, aliud agitur. Rogat actor, num heres ſit: praecipitatur alter, ut reſpondeat; quod ſi fiat, res actori, qui occaſionem captavit, ſalva eſt, & qui reſpondit ſe heredem, tenetur. Quid juris poſt Edictum? *Et quia hoc defunctorum intereſt, ut habeant ſucceſſores, intereſt & viventium, ne praecipitentur, quamdiu juſte deliberant. l. 6. princ. ff. h. t.* Sunt & alia ubique obvia. Nec eſt, quod dicas, eum, qui dolo deceptus eſt, a Praetore in integrum reſtitui: nam haec vera ſunt, ſi dolus tam ſit apertus, ut etiam omnibus pateat; qui non tam clare perſpicitur, ſi actor interroget, an ille heres ſit: licet interrogans dolo interrogaverit, ut tantummodo interrogatus reſpon-

deat ſe heredem. Sic etiam poſt Edictum Praetoris, nemo, ſi reſpondiſſet ſe ex aſſe heredem, qui erat ex parte, in integrum reſtituebatur, niſi juſtus adeſſet error. *l.* 11. §. 8. 10. 11. *ff. h. t.*

Secundus antiquarum interrogationum abuſus erat, quod interrogati ſaepe vel obſcure vel ſubdole dicerent ſe heredes, idque inſtituta adverſus eos actione iterum negarent; vel ſaltem fatebantur quidem illi ſe ſe pronunciaſſe heredes, verum addidiſſe qua ex parte. Quid verba perdimus? ICti, qui in Edictum commentati ſunt, id ſatis indicant. Unde, quaeſo, omnes reſponſionum ſpecies a ICtis ad Edicti ſenſum relatae? Id enim factum eſt propter caſus, qui antea acciderant. Reſpondebant quotidie interrogati ambigue & obſcure, ut actor actione inſtituta in periculum plus petitionis incurreret. Aliud juris nunc viget. *Nihil intereſt; neget quis, an taceat interrogatus, an obſcure reſpondeat, ut incertum dimittat interrogatorem.* *l.* 11. §. 7. *ff. h. t.* Atque illorum poenam vide in eadem *l.* 11. §. 4. *ff. eod.* Dolo dicebant ſe heredes, ut actor formula caderet. Dolus ille amputatus eſt in *l.* 9. §. 5. *ff. h. t. qui interrogatus heredem ſe reſponderit, nec adjecerit ex qua parte, ex aſſe reſpondiſſe dicendum eſt.* Dicebant olim ſe heredes, quum omnino non eſſent. Nunc vero, qui heres non eſt, ſi

ſi reſponderit ex parte vel ex aſſe heredem eſſe, pro ea, qua reſpondit, parte, tenetur propter mendacium. *d. l.* 11. §. 1. 2. *ff. eod.* Eadem eſt ratio, quur etiam in aliis jure tam ſtricto uſi fuerint veteres. Qui reſponderat ſuam quadrupedem, quae pauperiem fecerat, tenebatur. *l.* 7. *ff. h. t.* Qui dixerat alienum ſervum, qui damnum dederat, ſuum eſſe, conveniebatur actione L. Aquiliae interrogatoria. *l.* 8. *ff. eod.* Haec omnia ergo poſt Edictum Praetoris obtinuerunt: quoniam olim hoc modo, ſi actores inſtituiſſent ſuas actiones, formula & cauſſa cadebant propter plus petitionem, eoque judicium reddebatur eluſorium. Servanda erat judicii majeſtas; curandum quoque, ne cui dolo alterius, quod ſuum erat, auferretur. Adeoque qui habet actionem, alterum interrogare poteſt, & interrogatus reſpondere cogitur; ſecus iterum, quam erat ante Edictum: tunc enim quisque multis ambagibus jus ſuum perſequi debebat: nam ſuſpenſi actores ſemper detinebantur, dum ignorarent, num alius eſſet heres, & pro qua parte.

Erat & tertius abuſus & ille maximus a parte ejus, qui proprie interrogari debet & actione inſtituta convenitur. Solebat nempe heres debitoris defuncti ad creditorem convolare, atque eum, ſine ullis, quod curabat, teſtibus, interrogare, puta NONNE

A TITIO TIBI DEBENTUR CENTUM, CUIUS EGO SUM HERES? Quid tum? nulla, ut videbatur, erat actori haeſitatio, quin in aſſem heredem convenire deberet. Fallit, & fallitur alter. Inſtituitur actio in ſolidum, propterea quod reus ipſe ſe dixerit heredem. Fallitur & formula cadit actor, quum plus petierit: nam interrogatus omnino non eſt heres; vel heres quidem eſt, ſed tantummodo ex parte. Poſtea vero obtinuit, ut *ſi ſine interrogatione quis reſponderit, haberetur pro interrogato. l. 9. ff. h. t.* Sed ad quid tenebitur? ſi nempe ſine interrogatione reſponderit ſe heredem, ut teneatur ex aſſe. *d. l. 9. §. 5. l. 11. §. 11. ff. h. t.* Si vero ſe dixerit ex parte, ut pro ea quoque conveniatur. *l. 11. §. 1. & 2. ff. h. t.* Subſiſte paululum, obſecro; non eſt nuda conjectura, ſed res certa. Reliquiae harum interrogationum a parte actoris & poſt Edictum Praetoris exſtiterunt. Neceſſe non erat, ut alibi dicam, interrogationem ſemper *in jure* fieri. Nam ſi quis domi interrogatus bona fide reſponderit ſe heredem, cui bono ut iterum interrogatio *in jure* fieret?

Sed nunc probabo, quod probandum erat. Elegans in hanc rem eſt Senecae locus, ſaepe ſaepiuſque ab omnibus fere Doctoribus adductus: ſi tamen mihi fidem habeas, nondum recte explicatus. Exſtant Philoſophi ver-

verba *Epiſtola* XLVIII. *Quid enim*, inquit, *aliud agitis, cum eum, quem interrogatis, ſcientes in fraudem inducitis, quam ut formula cecidiſſe videatur? ſed quemadmodum illum Praetor, ſic hos philoſophia in integrum reſtituit.* Ex hoc loco oſtendunt Viri Docti interrogatum *in jure* ab actore dolo circumſcriptum, ſi male reſponderit, in integrum reſtitui; quaſi ſcilicet Seneca locutus fuiſſet de interrogationibus earumque actionibus, quae Praetoris Edicto ſunt introductae. Sed falſa, ni fallor, haec ſunt, quum earum non faciat mentionem Seneca; quod jam demonſtrabo.

Qui in jure interrogatur, an tam facile praeſente Praetore circumſcribi potuit? Sed quod majus eſt: an interrogatus dici poteſt formula cecidiſſe? Si adfirmes, debes quae ſequuntur in concordiam redigere. Hoc quoque obſervandum, puto, ut aliquis in Senecae verbis inveniatur ſenſus. Qui ab adverſario interrogatur, an ſua ſit quadrupes, quae pauperiem fecit? an ſervus, qui damnum dedit? an heres ſit & pro qua parte? ſi ad unum aut alterum reſponderit, tenetur. *l.* 5. *l.* 7. *l.* 8. *ff. h. t.* Quid ſi non ſit ſua quadrupes, vel ſervus; vel non heres; vel heres quidem, ſed pro parte tantum? ut non reſpondeat, ſuadendum eſt: niſi quod heres pro parte, qua heres eſt, reſpondere teneatur.

tur. Attamen ſi quis dubitet, num heres ſit, vel ſe heredem quidem ſciat, ſed neſciat qua ex parte, an ſtatim reſpondere cogitur? nihil minus: deliberandi tempus dabatur, ne perperam confitendo incommodo adficeretur. *l.* 6. *pr.* & §. 1. *ff. h. t.* Caſus fraudis dari poſſet, ſed eſt de raro contingentibus: ſaltem non tam facile praeſumitur, ubi Praetor adeſt. Procedo ad alterum.

An quiſquam in jure interrogatus formula cadere poteſt? Non ſunt termini habiles, ut loquuntur Philoſophi. Qui interrogabat, non vero qui reſpondebat, actionem inſtituebat. An ergo qui non agit, formula cadere poteſt propter plus petitionem? Actor, qui ultra id, quod reſponſum eſt, principali judicio perſequitur, formula cadit, quia plus petit; non autem interrogatus: quum ejus non ſit, ut agat, neque ut plus petat. Quae ergo, hic reſtitutio Praetoris, quam ei, qui formula cecidit, tribuit? Qui non agit, plus petere non poteſt; qui plus petere non poteſt, ut in integrum reſtituatur, contradictio eſt in adjecto.

Tu ſic habe, quod etiam poſt Edictum Praetoris extra JUS, qui conveniendi erant, ſolerent actorem interrogare tali vel ſimili, qua dixi, formula: NONNE A TITIO TIBI DEBENTUR CENTUM, CUIUS EGO SUM HERES? Reſpondebat, ſibi deberi,

beri, atque contra interrogatorem ut heredem ex aſſe inſtituebat condictionem certi ex mutuo. Quid fiet? Formula cadet actor. quur? plus petiit ille: heres Titii non ex aſſe, ſed ex ſemiſſe erat inſtitutus. Quid enim aliud agitis, quum eum, quem interrogatis, ſcientes in fraudem inducitis, quam ut formula cecidiſſe videatur? id tamen aequitati & rationi naturali adverſabatur, quodque contra bonos mores fiebat, non patiebatur Praetor: hinc ergo, quemadmodum philoſophia captiunculas captioſaſque ineptias, ſic Praetor & illos, qui interrogando in fraudem inducti erant, in integrum reſtituit.

Ex Senecae loco & id conſtat, ex privatis illis interrogationibus ortas fuiſſe actiones interrogatorias. Quid? nonne ex reſponſione heredis actor illum conveniebat in aſſem? fateor, hic cauſſa cecidit, quia ea reſponſione in errorem deductus actione interrogatoria juncta actione principali plus petiit. Sed quid ſi interrogatio bona fide domi facta ſit, & ad eam juſta ſecuta reſponſio? poterat actor omnino reſpondentem actione interrogatoriâ inſtituta ſimul altera actione convenire: quoniam, ſi reſponſum ſemel ſit, ut iterum in jure reſpondeatur, neceſſe non eſt.

Neque omittendus erat defectus antiquarum interrogationum. Nemo olim cogebatur reſpondere: adeoque nec actor in judicio jus ſuum

ſuum tuto perſequi poterat, dum ignoraret, an alter heres eſſet. Aliud jus irrepſit. Fit hodie interrogatio, ne, dum ignoret actor, qua ex parte heres exſtiterit, in plus petitionem incurrat. *L.* 1. *ff. h. t.* Hinc, qui interrogatur, reſpondere tenetur. *l.* 7. *ff. eod.* Si heres taceat & reſpondere nolit, in ſolidum convenitur. *l.* 11. §. 4. *ff. h. t.* Qui negat ſe heredem, ſacramento provocatur, ut exinde pateat, an heres ſit & pro qua parte. Dixi meam ſententiam; & hanc veniam damus petimuſque viciſſim.

CAPUT IV.

DE RATIONE EDICTI.

Satis abundeque patet, quae cauſſa Prætori fuerit, ob quam Edictum *de Interrogationibus in jure faciendis*, & *de Interrogatoriis actionibus* propoſuerit. Si nondum perſuaſus ſis, haec perpendas, & forte eris. Proponam Calliſtrati verba ex *l.* 1. §. 1. *ff. h. t.* quae in Codice Florentino ita habent. *Interragatoriis autem actionibus hodie non utimur: quia nemo cogitur ante judicium de ſuo jure aliquid reſpondere. Ideoque minus frequentantur & in deſuetudinem abierunt: ſed tantummodo ad probationes Litigatoribus ſufficiunt ea, quae ab adverſa parte expreſſa fuerint apud Judices, vel*

ni

in hereditatibus, *vel alis in rebus*, *quae in cauſis vertuntur*. Ecce verba, quae ab omni aevo Viros Doctiſſimos turbarunt: quapropter Antonius Faber in *Rational.* Hotomannus in *Verrinarum Commentar. & in Epitom.* ad. *h. Tit. num.* XII. Wiſſenbachius in *Emblematib. Triboniani*, Brenckman in *Diſſertat.* de *Inſcription. leg.* §. XXIV. Gothofredus et quam plurimi alii, qui ad hunc Titulum vel Legem ſcripſerunt, manum Triboniani agnoſcunt. Aliter ratiocinatur Bertrandus *Libr.* I. *de Jurisperit. Cap.* 27. ex *d. l.* I. §. I. apparere, Calliſtratum non vixiſſe ſub Imperatoribus illis, ſub quibus Julianus & Papinianus: propterà quod Calliſtratus teſtetur, ſua aetate actiones interrogatorias in deſuetudinem abiiſſe, quas ſub Juliano & Papiniano in uſu fuiſſe conſtet. Quod tamen vix eſt ut intelligam. Nam Julianus tempore Antonini Pii vitam egit, quo tempore actiones interrogatoriae in uſu fuerunt. Papinianus autem & Calliſtratus fuerunt aequales: floruerunt enim ambo ſub Severo & Antonino Caracalla. Alii denique, qui paulo mitiores ſunt, quam ut Tribonianum emblematis inſimulent, diverſis modis *d. l.* I. §. I. explicare & cum jure veteri conciliare conantur; inter quos praecipue Duarenus *lib.* I. *Diſputat. Anniverſar. Cap.* 42. Joannes Robertus *libr.* IV. *Sentent. Jur. Cap.* II. Huberus *in Eunom. Roman.*

D Leo-

Leoninus *libr.* III. *Emendat. cap.* 9. Branchu *Obſervat. Cap.* XV. alii; quos omnes, non fert animus, refutare: ne multae pagellae tinnulis orationibus impleantur; quod nec tibi placeret, nec mihi vacat. Satisfeci illis Cap. I. & amplius fiet in Sequentibus. Id addo, Paganinum Gaudentium. *libr.* II. *Expoſit. Juridic. Cap.* 3. male dixiſſe interrogationes tempore Calliſtrati in deſuetudinem abiiſſe, probantem id ex auctoribus, ut putat, Apulejo in *Apolog. pag. m.* 492. & Ambroſio *libr.* VIII. *Epiſtol.* 64. & 65. Nam non agunt illi de interrogationibus, quae in actionibus in perſonam obtinuere; ſed de illis, quibus quidam in criminalibus uti volebant. Accuſaverat Sicinius Aemilianus Apulejum artis magicae: nihil tamen, quo id probaret, adferebat; verum Apulejum interrogabat tantummodo, ut forte quidquam crebris interrogationibus ex ejus reſponſione, etiamſi dubia, eliceret. Eodem modo Ambroſius illos exagitat, qui inſpectionem virginum petebant, nullis aliis teſtimoniis inſtructi. Qui aliquem accuſat criminis alicujus, illud probare debet: quum ei incumbat probatio, qui dicit, non qui negat. *l.* 2. *ff. de probat.* Hae ergo interrogationes ſunt iniquae, nec unquam fuerunt uſitatae: adeo ut vix dici poſſit, eas jam tempore Apuleji & Ambroſii in uſu eſſe deſiiſſe. Earum, quae a judice in criminalibus fiunt, me-

meminit Plinius in Epiſtola Trajano miſſa de Christianis. *Lib.* x. *Epiſtol.* 97. *Interrogavi illos, an eſſent Chriſtiani: confitentes iterum ac tertio interrogavi, ſupplicium minatus: perſeverantes duci juſſi.* Adde Suetonium in *Vita Auguſti Cap.* XXXIII. ibique Caſaubonum.

Calliſtratus in libro II. Edicti Monitorii quatuor, ut videtur, explicavit Edicta. Primum quod propoſitum erat, *ex quibus cauſis majores viginti quinque annis in integrum reſtituuntur. l.* 2. *l.* 4. *l.* 9. *l.* 11. *l.* 14. *ff. eod.* Alterum de *Rei vindicatione. l.* 50. *ff. de rei vind.* Tertium de *Noxalibus actionibus. l.* 32. *ff. de noxal. action.* Denique quartum *de Interrogationibus in Jure faciendis & de actionibus interrogatoriis. d. l.* 1. §. 1. *ff. h. t.* Ut autem ordine procedat, prius indicat in principio *d. l.* 1. in quibus rebus actiones interrogatoriae in uſu fuerint. Aſt in *d. l.* 1. §. 1. ab exordio interrogationes detegit oſtenditque, ſe hic non loqui de actionibus illis, quae olim ex interrogationibus extrajudicialibus oriebantur: quum hae in deſuetudinem abiiſſent & minus frequentarentur; ſed de illis tantum, quae fiunt apud Judices, id eſt, quibus de agit Edictum Praetoris. Explicabo verba.

Interrogatoriis autem actionibus hodie non utimur. Haec verba perperam in Baſilicis ſunt ommiſſa. Agitur de interrogatoriis acti-

onibus antiquis, quibus hodie non utimur, poſt Edictum ſcilicet Praetoris. Ratio eſt, *quia nemo cogitur ante Judicium de jure ſuo reſpondere.* Vox *Judicium* hic accipitur pro *jus* ut in *l.*4. *l.* 9. §.3. *ff. h. t.* Senſus eſt: Nemo cogebatur, antequam in *Jus* ambulatum eſſet, de jure ſuo reſpondere. Nunc vides defectum interrogationum antiquarum. Etenim, ſi ante Edictum Praetoris interrogatus nollet reſpondere, vel quod taceret, vel negaret ſe heredem, vel non πρὸς ἔπος reſponderet, actor ſine damni metu agere haud poterat: quoniam interrogatus nullis poterat cogi remediis, ut reſponderet. Poſt tempora Edicti voluit Praetor adſtringere eum, qui interrogatur, ut reſpondeat, pro qua parte heres ſit. Quid ſi taceat? inſtituta actione convenitur in ſolidum, quaſi negaverit ſe heredem. *l.* 11. §. 4. *ff. h. t.* Qui non πρὸς ἔπος reſpondiſſent, poſteriores exceperunt, ut omnino non reſpondiſſe viderentur: adeoque ut eadem, qua tacentes, adfligerentur poena. *d. l.* 11. §. 5. *ff. eod.* Qui negat ſe heredem, an ſtatim abſolvetur? minime: Praetor intercedebat SI NEGAT, SACRAMENTO QUAERITO: ut conſtaret, an negans heres eſſet.

Ideoque minus frequentantur & in deſuetudinem abierunt. Loquitur Calliſtratus adhuc de antiquis interrogationibus, quamvis mul-

multi Doctores ex illis collegerint, actiones interrogatorias, de quibus Praetoris eſt Edictum, omnino in deſuetudinem abiiſſe: ſed verba *ideoque minus frequentantur*, omittunt. Interrogationes, quae ante Edictum Praetoris erant, fere in deſuetudinem abierant: aliquando tamen & poſt Edictum iis utebantur Veteres. Nunquam, ut jam dicere coepi, in mentem inducere potui, eum, qui actione perſonali conveniendus eſſet, ſemper *in jure* fuiſſe interrogatum. Quid ergo? ſi actor ex reſponſione heredis domi facta certo ſciat, hereditatem eſſe aditam, *in jure* non fiebat interrogatio: nam PLERUMQUE *difficilis eſt probatio* [*aditae*] *hereditatis. l.* 6. *ff. h. t. Plerumque*, eſt: ideoque neceſſaria eſt interrogatio. Sed ſi non eſt difficilis probatio, neque, ut interrogetur, neceſſe eſt. Quid ſi filius, qui ſe hereditate paterna abſtinet, reſponderit ſe heredem eſſe, an non tenetur caeteris creditoribus, qui in jure non interrorogarunt? quod adfirmandum eſt: quia ita reſpondendo ſe pro herede geſſiſſe videtur, *l.* 12. *ff. h.t.* ac praeterea, quod filius, licet ſe abſtineat, nihilominus heres maneat, *l.* 88. *ff. de hered. Inſt.* quod ſecus eſt in filio emancipato praeterito, qui Jure Civili extraneus eſt. *l.* 22. *ff. h. t.* Effectus enim interrogationis erat, ut quisque, pro qua parte alter heres eſſet, certior fieret: qua de re ſi actori do-

mi vel alibi interrogando jam conſtiterit, neceſſaria non erat de eadem re interrogatio in jure. *Minus tamen frequentabantur & in deſuetudinem abierant*, quia nemo cogebatur ante judicium de jure ſuo reſpondere. His accedit, *eas minus frequentari & in deſuetudinem abiiſſe*, quod interrogationes illae non ſemper, ut monui, bona fide fierent, ſed ſaepe iis abuterentur: nam verſuti homines inſidioſis interrogationibus eorumque reſponſionibus alios inducebant, ex quibus inſtituta actione contentiones oriebantur, quid interrogatum, quid iterum reſponſum eſſet: quae omnia per Edictum Praetoris mutata ſunt, ita ut, ſi in jure interrogatum ſit, haec tantummodo litigatoribus ad probationes ſufficerent; & hoc indicant verba ſequentia.

Sed tantummodo ad probationes litigatoribus ſufficiunt ea, quae ab adverſa parte expreſſa fuerint apud judices: Pro *ſed tantummodo* legitur in Editone Norica *& tantummodo.* Locus non eget emendatione: clara ſunt verba. Egerat Calliſtratus de antiquis interrogatoriis actionibus extrajudicialibus, quae minus frequentabantur & in deſuetudinem abierant. Nunc initium facit ICtus ab illis, de quibus in Edicto Praetoris agitur, quae ideo particula *ſed* opponuntur. Si itaque in jure interrogatus reſponderit, ex ſua reſponſione, ſive vere ſive falſo ſe dixerit here-

re-

redem, tenetur, quum hodie ad probationes Litigatoribus ſufficiant ea, quae fuerint expreſſa *ab adverſa parte.* Poſt Edictum nemo interrogare poteſt, ſi cum aliquo non habeat actionem. *l.* 13. *ff. h. t.* Id tamen diſtincte fieri debet. Actor debet interrogare, reus ad interrogatum reſpondere: Aliter ac olim, ubi reus ſaepe mala fide interrogabat, actoremque inducebat, ut inſtituta actione in poenam plus petitionis incurreret. Sed hodie fere ſemper interrogatio in jure ab actore fit, ad quam ſi reſponderit interrogatus, ex ejus reſponſione actio naſcitur interrogatoria. Et hoc ſignificant verba, *quae ab adverſa expreſſa parte fuerunt.*

Nec offendat aliquem, quod dicitur interrogationes in jure *ad probationes* litigatoribus ſufficere, ſiquidem interrogationes & reſponſiones proprie non ſunt *probationes.* Diſtant quoque *confeſſiones* ab interrogationibus & reſponſionibus, quae tamen *confeſſiones* vocantur in *l.* 13. *ff. h. t.* Olim enim non facile probari poterat, quid reſpondiſſet interrogatus, ſi negaret ſe reſpondiſſe: praeſertim, ſi interrogatio facta eſſet ſine ullis praeſentibus teſtibus. Jam vero ſi interrogatus in jure neget ſe reſpondiſſe, vel ſe tacuiſſe dicat, actori incumbit probatio. *l.* 25. §. 2. *ff. de probat. & praeſumpt.* quae tamen facilis eſt: quia *ad probationes* litigatoribus ſufficiunt ea, quae

ab adverſa parte expreſſa fuerunt *apud judices*. Interponitur judicis auctoritas, apud quem facta eſt interrogatio, quâ ſatis probatur oſtenditurque, quidquid reſponſum fuerit. *l.* 4. §. 1. *ff. h. t.*

Habent interrogationes interrogatoriaeque actiones locum *vel in hereditatibus*, *vel alius in rebus*, *quae in cauſis vertuntur*. In aliis Editionibus eſt, *ut in hereditatibus*. Res eodem redit: nam de mutanda lectione non admodum ſum ſollicitus, ſi leges ſine emendatione intelligi poſſunt. Quare autem in hereditatibus? dixi jam & infra dicam latius. Nec jn his tantum, ſed *alus in rebus*, *& quae in cauſis vertuntur*. Graeci habent, ἔντε ταῖς κληρονομίαις, ἔν τε τοῖς ἄλλοις πράγμασι. *Tam in hereditatibus, quam alus in rebus.* Fiunt interrogationes non tantum in hereditatibus bonorumque poſſeſſionibus; de quibus Praetor tantummodo in Edicto dixerat, ſed & in aliis, in quibus eadem eſt cauſſa. ſic *cauſſa Edicti* in *l.* 5. *ff. unde lib.*

Ulpianus in Libro XXII. ad Edictum etiam ſcripſit ad Edictum de *Interrogationibus:* ac proinde initium ſumit a ratione, ob quam Praetor Edictum propoſuit in *l.* 2. *ff. h. t. Edictum*, inquit, *de Interrogationibus ideo Praetor propoſuit, quia ſciebat difficile eſſe ei, qui heredem bonorumve poſſeſſorem convenit, probare, aliquem eſſe heredem bonorumve poſſeſſorem.*

Adi-

Aditio hereditatis facti eſt & animi: quae autem facti & animi ſunt, non tam facile probantur; & haec prima eſt ratio. Sed quae ſecunda? Nemo cogebatur ante judicium de jure ſuo reſpondere, ac eo magis probatu difficile erat, aliquem adiiſſe hereditatem. Si enim domi interrogatus olim reſpondere nollet, exſpectandum erat, donec doceretur hereditatem eſſe aditam. Et quid ſi adita ſit hereditas? neſcit pro qua parte quisque heres exſtiterit, in caſu nempe ſi plures ſint heredes. Hodie Praetor Edictum propoſuit, quo interrogatus reſpondere cogitur.

An id tibi nondum exploratum eſt? audi eundem Ulpianum in *l.* 4. *ff. eod. Voluit Praetor adſtringere eum, qui convenitur ex ſua in judicio reſponſione, ut vel confitendo, vel mentiendo ſe ſe oneret: ſimul etiam portionis pro qua quisque heres exſtitit, ex interrogatione certioretur.* Solebant ante Edictum aliquando obſcure vel ſub dole ſe dicere heredes ex aſſe, quum omnino non eſſent, vel tantum ex parte, ut actor in poenam plus petitionis incurreret. Nunc qui confeſſus eſt ſe heredem, tenetur ex aſſe, etiamſi tantum ex ſemiſſe ſit. Qui per mendacium dixit ſe heredem, in ſolidum convenitur *l.* 11. §. 4. *ff. h. t.* Si dictis phaleratis ab actoribus heredes ſunt pronunciati, & in id conſenſerunt, quum heredes eſſent ex parte, non vero ex aſſe, hoc

quoque nihil facit, quominus in ſolidum conveniantur: nam ut omnes argutiae & captiones tollerentur], conſtitutum eſt, ut quisque caveat, ne temere ſe dicat heredem, quia Praetor voluit adſtringere eum, qui convenitur ex illa in judicio reſponſione, ut confitendo ſe ſe oneret. Interrogatus tamen, an heres ſit, non cogitur reſpondere, ſi quid obſtet, quominus reſpondere poſſit. *l.* 6. §. 1. *ff. h. t.*

Adſtringitur omnino & is, qui *mentiendo* dixit ſe heredem. Moris erat ante Edictum, ut ſaepe ii, qui proprie interrogari debebant, actorem interrogarent, NONNE A TITIO TIBI DEBENTUR CENTUM CUIUS EGO SUM HERES? His verbis quia dixerat ſe heredem, actor reſpondentem in aſſem conveniebat; quo caſu tamen actor formula cadit: propterea quod reſpondens non eſt ex aſſe heres. Poſt Edictum qui ita dixit ſe heredem, in aſſem convenitur. *l.* 11. §. 2. *ff. eod.* Licet enim actoris proprie ſit interrogare, non vero ut interrogetur; fiebat tamen poſt Edictum aliquando ab eo interrogatio, qui conveniri debebat. *l.* 9. *pr. ff. h. t.* ibi: *ſi ſine interrogatione quis reſponderit ſe heredem, pro interrogato habetur.* Nam quod ad effectum, erat idem, an actor interrogaret, AIO EX LUCII TITII HEREDITATE CENTUM MIHI DEBERI,

QUAN-

QUANDOQUIDEM TE IN IURE CONSPICIO, POSTULO, ANNE FIAS AUCTOR? an vero reus ipſe diceret. NONNE A TITIO TIBI DEBENTUR CENTUM, CUIUS EGO SUM HERES? ſi modo in ambabus formulis heres confiteretur ſe fieri auctorem, ut ex ejus reſponſione naſceretur actio interrogatoria.

Simul etiam portionis, pro qua quiſque heres exſtitit, ex interrogatione certioretur. Haloander legit, *ut de portione*, melior eſt lectio Florentina. Non tantum Edicto Praetoris corriguntur abuſus veterum interrogationum, ſed etiam defectus ille maximus, quem dixi fuiſſe in interrogationibus antiquis. Hinc utitur ICtus particulis *ſimul etiam*. Nemo cogebatur ante judicium de jure ſuo reſpondere, ac proinde actor ſaepe fluctuabat, adverſus quem agere deberet; & ſi heredem conveniret, an heres eſſet ex aſſe, an vero ex parte. Nunc quiſque cogitur reſpondere: ſi nolit, & taceat, in ſolidum convenitur. *l.* 11. §. 4. *ff. h. t.* ſi non reſpondeat, cogitur per interceſſionem Praetoris, SI NEGAT, SACRAMENTO QUAERITO. Atque his modis portionis, pro qua quis heres ſit, actor ex interrogatione certioratur.

Poſtquam Ulpianus generaliter notaverat, quam ob cauſſam Edictum de Interrogationibus a Praetore fuerit propoſitum, pergit in

d.

d. Libro XXII. ad Edictum, ut oſtendat ſpeciatim, quid juris ex hoc Edicto profluat propter abuſus defectumque antiquarum interrogationum extrajudicialium. Ab Edicto initium facit ICtus in *l.* 4. §. 1. *ff. h. t.*

Tranſeamus igitur ad Edictum, quod in Albo Praetor denunciavit, ut de plano legi poſſet.

CAPUT V.

PROPONUNTUR VERBA EDICTI. EXPLICATUR QUID SIT IUS.

QUI IN IURE INTERROGATUS RESPONDERIT, QUA EX PARTE HERES BONORUMVE POSSESSOR SIT, ADVERSUS EUM EX SUA RESPONSIONE ACTIONEM DABO.

ADVERSUS EUM, QUI OMNINO NON RESPONDERIT, IN SOLIDUM ACTIONEM DABO.

Ait Praetor, QUI IN JURE. Quid JUS ſit, explicat Ulpianus in *l.* 4. §. 1. *ff. h. t. Quod ait Praetor*, QUI IN JURE INTERROGATUS RESPONDERIT: *ſic accipiendum eſt, apud Magiſtratum Populi Romani vel Praeſides Provinciarum vel alios Judices. JUS enim eum ſolum locum eſſe ubi juris dicendi vel judicandi gratia conſiſtat, vel ſi*

domi

domi vel itinere hoc agat. Sic Florentiae eſt editum. Multum pulveris moverunt viri Docti, ut *d. l.* adferant lucem. Videam ergo, ut, ſi quid illis ineſt boni, decerpam; ſi quid mali, tranſiliam. Luſtrabo ſingula.

Quod ait Praetor, qui in jure interrogatus reſponderit: ſic accipiendum eſt, apud Magiſtratus populi Romani, vel Praeſides provinciarum vel alios judices. Miratur CL. Huberus in *Eunom. Roman.* ad *h. l.* a Wiſſenbachio nec hunc Locum inter emblemata Triboniani relatum. Sed ratio eſt evidens: nullum fere ex ſuo aerario depromſit, ſed bona fide ſemper alios ſecutus fuit. Non inſpexerat Antonium Fabrum in *Rational.* Legerat nihilominus Cujacium, Robertum & Bachovium, ut conſtat ex *Emblemat. Triboniani* ad *l.* 1. §. 1. & *Commentar.* ad *h. Tit. num.* 111. Atque ideo poſteriora verba legis noſtrae a cenſura Hotomanni vindicavit.

Admirationis ſuae reddit rationem Huberus, quippe inquit, tempore Ulpiani JUS erat locus ubi Magiſtratus Populi Romani ἐν βήματι jus dicebat. *l.* 11. *ff. de Juſtit. & jur.* Unde judex pedaneus non eſt is, qui jus dicit, nec quae in jure fiebant, apud eum fieri poſſunt. Quod igitur hic addatur *vel alios judices*; ac praetera, quod in verbis poſterioribus *jus dicere* & *judicare* conjungantur, ea referri debe-

bere, ad tempora poſt Diocletianum & Maximianum, quando differentia *Jus dicendi* & *Judicandi*, judicesque dandi mos ſublatus fuerit. Unde non abſurdum ei videtur, ab Ulpiano ſcriptum fuiſſe; *In jure &c. ſic accipiendum eſt: apud Magiſtratum Populi Romani. Jus enim ſolum locum eſſe, ubi jurisdicundi gratia conſiſtat.* Saltem haec verba *vel alios judices* non eſſe Ulpiani; ſed a manu Compilatorum. Ita fere Antonius Faber *in Rational.* Omittit, ut vides, *Praeſides provinciarum*: omittit *vel alios judices*: ommittit denique *vel judicandi.* Praeterea CL. Voet *ad. h. t.* & alii per *judices alios* intellexerunt quoque judices pedaneos: ad diſtinctionem, ut ajunt, earum interrogationum, quae *in jure* fiebant ante litem conteſtatam: quum aliae *in judicio* fiebant poſt litis conteſtationem. Et vereor, ne ita etiam intelligi debeat Wiſſenbachius in *Commentar.* ad *h. Tit.* num. 1.

Errat, ſi quid judico; Huberus, quum putat per *judices alios* intelligi *judices pedaneos;* & denique verba *jus dicere* & *judicare* referri debere ad tempora Diocletiani & Maximiani: quamvis tamen ipſe confiteatur, *judicare* ferri poſſe; quoniam Praetor aliquando de quibusdam judicavit. Exemplum habes apud Ciceronem *Libr.* 1. *in Verrem Cap.* 50. *uti C. Verres. P. Caelius Praetores cognoſcerent & judicarent.* Sunt & alia

alia apud ipſum Ciceronem aliosque paſſim; quae non adducam, quum id ſciant, qui nondum aere lavantur. Porro probavi *capite ultim.* tempore Diocletiani & Maximiani judicis dationem non fuiſſe ſublatam. *arg. l. 2. C. de pedan. jud. l. ult. C. de in lit. jur. l. un. C. qui pro ſua jurisd. jud. dare darive poſſ.* Gravius errat Cl. Voetius aliique, qui etiam per *judices alios* intelligunt judices pedaneos. Nam addunt olim duplices fuiſſe interrogationes: alias, quae *in jure* ante litem conteſtatam, alias, quae *in judicio* poſt eam fierent. Verum apud judices pedaneos nunquam fuit interrogatum, quia JUS ſolummodo conſtituitur a Magiſtratu populi Romani, Praeſidibus provinciarum aliisve judicibus; inter quos numerandi non ſunt pedanei: quum illi tantummodo judicarent: adeoque nunquam fieri apud eos, id eſt, poſt litem conteſtatam, interrogatio potuit. Ubicunque ergo agitur de interrogationibus *in judicio* vel *ante judicium*, omnino JUS denotatur; quae tamen voces ſaepe confunduntur. Raevardus *Pro tribunal. Cap.* VII. Turnebus *Libr.* XXIX. *Adverſar. Cap.* 33. Putavi ego aliquando per *judices* intelligi omnes illos, in quos more Majorum translata fuerat jurisdictio. *l. 1. §. 1. ff. de off. ejus, cui mand. eſt jurisd.* quum omnes appellentur *judices* qui tribunali praeſunt. *l. 1. ff. de judic.* Hos autem uſos fuiſſe tribunali,

do-

docuit multis Cl. Noodt *Libr.* 11. *de juriſd. & Imper. Cap.* 9. Diſtinguuntur tamen Magiſtratus Populi Romani Praeſidesque Provinciarum ab iis, quibus mandata eſt jurisdictio, quoniam prioribus ea ſuo jure competebat, mandatariis vero minus, quum ex mandato haberent, adeoque propter translatam jurisdictionem aeque apud eos *in jure*, quam apud alios interrogatum fuit. Verum hanc ſententiam poſtea rejeci, cujus rei rationem ſtatim percipies.

Voluit Ulpianus per *alios judices* indicare *proconſules.* Conſtituerat enim ICtus locum, ubi magiſtratus populi Romani, Praeſides Proconſulesque apparebant, & qui idcirco JUS dicebatur, depingere & deſcribere. Romae JUS dicebatur, ubi Magiſtratus populi Romani ſui copiam faciebant, ſub quibus omnes, etiam ii, quibus mandata eſt jurisdictio, comprehenduntur. Sequar Paulum in *l. pen. ff. de Juſt. & jur. ubicunque Praetor ſalva majeſtate imperii ſui, ſalvoque more majorum jus dicere conſtituit, is recte JUS appellatur.* Pergit ab Urbanis Magiſtratibus ad illos, qui extra Romam JUS conſtituunt, nempe *Praeſides* & *alios judices.* Sub nomine *Magiſtratus populi Romani* omnes veniunt, qui Romae jus dicunt: ſecus ac provinciales, qui proprie non ſunt magiſtratus, ſed *pro Magiſtratu fungi* ac *cum poteſtate eſſe* dicuntur.

Prae-

Praeſides ergo hic exempli gratia ponuntur, qui in Provinciis IUS conſtituunt. Sunt & *alii Judices* nempe *Proconſules*, qui & in ſuis Provinciis jus dicunt. Huic accedit, quod, poſtquam Auguſtus Provincias cum Senatu diviſerat, *Praeſides* a Caeſare mitterentur, qui omnium Romae Magiſtratuum vice & officio fungebantur. *l.* 12. *ff. de Offic. Praeſid.* Sic & *Proconſules* mittebantur a Senatu, nec quidquam erat in Provincia, quod per ipſos non expediebatur. *l.* 9. *ff. de offic. Proconſ. & Legat.* Cum itaque Praetor ait, QUI IN IURE INTERROGATUS RESPONDERIT; accipiendum eſt, quum interrogatio fit apud *Magiſtratus Populi Romani.* Nec apud illos ſolummodo; ſed apud Provinciales quoque; apud *Praeſides* in provinciis Caeſareis, qui hic praeponuntur, ac dein ſequuntur *Proconſules*, qui a Senatu mittuntur; apud quos, ſi interrogatio fiat, is locus etiam recte IUS nuncupatur.

Cl. Noodt in *Commentar. ad h. t.* per *judices* intelligit minores Magiſtratus, ut Municipales; qui & jurisdictionem habuerunt, & *judices* appellantur: adeo ut latius accepto Praeſidis nomine omnes denotentur, qui Provinciis praeſunt. *l.* 1. *ff. de offic. Praeſid.* Id autem verum eſt, Municipia Coloniasque ad imitationem Urbis dominantis eadem Magiſtratuum nomina & ſuis impoſuiſſe, ut proba-

E vit

vit Cl. Otto in *Diſſertat. de Conſulib. extra Rom. Cap.* 1. §.3. Exiſtimo tamen, Ulpianum tantum voluiſſe deſcribere, quomodo IUS conſtituatur per Magiſtratum Populi Romani, atque etiam per illos, qui ex Romanis in alias mittebantur Provincias. Si enim Municipales imitati fuerunt ea omnia, quae erant Romae, locus omnino ille, ubi jus dicebant, IUS quoque vocabatur, nec opus erat, hunc locum in ſpeciali IURIS deſcriptione iterum delineari. Probabilis eſt ergo mea ſententia, ut per *judices alios* indicentur *Proconſules;* quibus magis conveniunt verba, quae ſequuntur *vel ſi domi vel itinere*, quam Municipalibus.

Jus eum ſolum locum eſſe, ubi juris dicendi vel judicandi gratia conſiſtat, vel ſi domi vel itinere hoc agat. CL. Huberus verba *vel ſi domi vel itinere hoc agat*, vitioſa eſſe, cenſet: cenſet id quoque Hotomannus *Libr.* 1. *Obſervat.* 22. *& Libr.* VII. *Obſervat.* 5. & pro *vel ſi domi* legendum eſſe; putant *non ſi* vel *niſi domi.* Reprehenſus, ut fere ſemper, eſt Hotomannus a Cujacio *libr.* XIV. *Obſervat.* 11. Pro Hotomanni ſententia, inquit Huberus, facit contextus, quoniam poſt voces *ſolum locum* non bene conveniunt tria loca: praeter quod τὸ *non* ob repetitionem ingratam, quam τὸ *vel* ad aures multo concinnius eſt: ac dein, quod IUS ſignificet locum publicum & ſolen-

lennem *l.* 11. *ff. de juſt. & jur.* quod tamen ipſe Hotomannus *l. d.* contra Cujacium jam obſervaverat: nam hanc emendationem invenies in priori illius Obſervationum Editione *Libr.* 1. *Obſerv.* 40. ſed, lecta Obſervatione Cujaciana, rationes novas ſuae ſententiae in alia protulit Editione, quae nunc eſt *libr.* 1. *Obſervat.* 22. Pergit Ulricus Huberus, Praetorem potuiſſe domi vel in itinere de plano jus dicere. Verum interrogationes, ad quas inviti adigebantur, & e quibus ſolennes actionum formulae erant concipiendae, non erant res, quae de plano fieri poterant, ſed tribunal requiſiviſſe videntur. Idem fere dixerat Hotomannus, eum, qui in jure interrogandus eſſet, ab adverſario in IUS vocari ſolitum fuiſſe. *l.* 1. §. 3. *ff. de inſpic. vent.* In IUS autem vocare non eſt domi vel in cubiculum Praetoris vocare. *l.* 2. *ff. ne quis eum qui in jus voc.* Addit Hotomannus, interrogationes in criminalibus non niſi apud Praetoris tribunal fieri. Ut ergo idem in civilibus obtineat, ratio poſtulat. Vidimus, inquit, Praetorem quoque dici interdum cognoſcere, quum quaeritur, an quis interrogari debeat. *l.* 9. §. 6. *h. t.* Atqui abſurdum eſt exiſtimare, Praetoris cubiculum ad cauſſae cognitionem indoneum eſſe locum. *l.* 9. §. 1. *ff. de offic. Proconſ.* Inſiſtit Hotomannus: Fiebant interrogationes interdum a Praetore, interdum ab adverſario.

 l.

l. 9. §. 1. *ff. h. t.* Sed tamen ſemper IN JURE. Non iteque veroſimile eſt, licuiſſe adverſario ad alium locum interrogandi cauſſa poſſeſſorem vocare, quam ad tribunal ejus, qui Juriſdictioni praeërat. *l.* 2. *ff. ſi quis in jus vocat. l.* 13. §. 3. *ff. de injur.* Denique interrogationes in IURE, vel certe in IUDICIO fiiebant. *l.* 4. *ff. h. t.* Atqui, ſi ſatis fuiſſet, quovis loco interrogare, fruſtra ICti toties voces illas inculcaſſent. Sed ſunt haec argumenta, quae non admodum ſtringunt; verum, ut ſolet, quae videntur ſuas habere difficultates: quibus ideo breviter occurrendum eſt.

Quod ad contextum attinet, Ulpianus, quum dicat, *Jus eum ſolum locum eſſe*, reſpicit ad interrogationes antiquas extrajudiciales, quae ante Edictum Praetoris de *Interrogationibus in jure faciendis* exſtiterunt. Olim enim fiebant domi interrogotiones, quibus aſtuti fraudulentique homines alios inducebant. Ut vero quis hodie cum effectu & ſine doli metu interroget, atque interrogetur, is poſt Edictum Praetoris interrogat atque interrogatur IN IURE; quippe *ſolus* ille *locus* eſt, ubi adeſt Magiſtratus Populi Romani: ac proinde, ſi interrogatus in jure ſive vere ſive falſo reſponderit, ex ſua reſponſione tenetur actione interrogatoria; quum ad probationes litigatoribus ſufficiant ea,

quae ab adverſa parte *apud judices*, id eſt, apud Praetorem aliumve Magiſtratum fuerint expreſſa *l.* 1. §. 1. *ff. h. t.* Nec refert, an interrogatio fiat, ubi Praetor ſalva Majeſtate jus dicit, an vero domi vel itinere: quoniam evinire poteſt, ut citius, quam tribunal adſcenderit Praetor, interrogari debeat.

Si reſpiciamus ad caetera Hotomanni argumenta, ea nihil faciunt, quominus Lectioni Florentinae ſtetur. Verum eſt, quod Cujacius *l. d.* Robertus *Libr.* 1. *Receptar. Sentent. Cap.* 13. Raevardus *Protribunal. Cap.* VII. Bachovius ad *Treutlerum vol.* 1. *Disputat.* IV. *Theſ.* 1. *lit. D.* Leoninus *Libr.* III. *Emendat. Cap.* 9. & ante eos Accurſius, multis probarunt, Praetorem aliquando de plano, ſella poſita, ſive domi ſive in itinere jus dixiſſe. Non putarem tamen, in quavis cauſſa domi vel in itinere interrogationem fieri potuiſſe, ut pro lubitu Interrogatoris fieret interrogatio, vel *in jure* vel *domi* vel *itinere.* Et haec quoque ratio eſt, quur Hotomannus novas ſententiae ſuae adverſus Cujacium rationes protulerit; quas ſi ponderes, patebit, majus argumentorum Hotomanni robur eſſe, quam adverſariorum.

Etenim Praetor domi, vel ſi per regiones urbis veheretur ſella, ſtatim non debebat eſſe paratus, ut apud eum, ſella poſita ab obam-

bulante in rebus minimi momenti fieret interrogatio, quae alioquin abſque ullo periculo peragi potuiſſet, tempore, quo tribunal adſcendiſſet Praetor. Quid inde? rem decidit Ulpianus in *l. 21. ff. h. t. Ubicunque judicem aequitas moverit, aeque oportere fieri interrogationem, dubium non eſt.* Neſcio, quas non interpretationes ad *h. l.* adferunt Accurſius, Antonius Faber, Ulricus Huberus, Voet, Noodt aliique: ſaltem ex ea iterum colligunt, interrogationes aetate Ulpiani fieri potuiſſe tam ante, quam poſt litem conteſtatem apud judices pedaneos. Non enim intentis oculis contemplantur interrogationes, nec obſervant judiciorum ordinem. Agunt ICti ſub hoc noſtro Titulo de interrogationibus, quae fiunt ante litem conteſtatam; praeter quas aliae unquam haud fuerunt notae. Hinc idem Ulpianus in *l. 2. ff. h. t.* rationem oſtendit, ob quam Praetor Edictum propoſuerit quod in *l. 4. ff. eod.* aliiſque, ex eodem libr. XXII. deſumptis, explicat. Nec ille ſolus, verum & alii ICti paſſim in Pandectis. Nihil autem abſurdius foret, Edictum Edictique verba ita exſequi, quaſi nunc diceret Ulpianus, *Praetorem voluiſſe adſtringere eum, qui convenitur ex ſua in judicio reſponſione, ut vel confitendo vel mentiendo ſe ſe oneret. d. l. 4. h. t.* hoc eſt, ut teneatur, ex reſponſione ſua in jure ante litem conteſtatam facta, actione interrogatoria, ac poſtea ſibi adverſaretur, ut jam diceret,

ceret, & illas poſſe fieri poſt litis conteſtationem apud judices Pedaneos. Si obſerves ordinem judiciorum, latius apparebit, eos errare: litis enim conteſtatio demum fit poſt factas interrogationes apud Praetorem, quum ex narratione actoris & contradictione rei coepiſſet cauſſam audire *l. un. C. de lit. conteſt.* Quo facto eligebatur judex, qui ſecundum formulam ei a Praetore praeſcriptam judicare cogebatur. Feſtus in voce *conteſtari.* An nunc apud hunc lite conteſtata interrogatio fieri potuit? nequaquam. Nam munus illius erat, ut judicaret tantum. Ad formulam adſtrictus erat, & extra eam nihil agebat. His adde, quod, ſi interrogatio poſt litem conteſtatam fuerit facta apud judicem Pedaneum, exinde actio interrogatoria naſci non potuerit. Et quid ſi exinde nata fuerit, quando ergo haec actio erat inſtituenda? poſt litem conteſtatam? actio enim principalis jam erat inſtituta; adeo ut ſi actor non interrogaverit, propter plus petitionem cauſa jam cecidiſſet. Actio principalis ſemper ſimul juncta actione interrogatoria inſtitui debet, nec amplius actione interrogatoria poſt litem conteſtatem agi poteſt, niſi ſi hoc caſu mutaretur libellus actionis. Sed haec a ratione juris ſunt aliena.

Verum in quibus cauſſis ergo domi vel in itinere fiet interrogatio? Ulpianus reſpondet fieri, in quibus *judicem aequitas moverit.* Quid

 ſi

ſi damnum repens ex aedibus ruinoſis ſive ex parte aedium, ut ex Subgrundiis & Protectionibus timeatur? Ob hujusmodi damnum, quod imminet, ex Edicto Praetoris peti poteſt cautio de damno infecto, ſi quod contigerit, reſarciendo. Si vero neſciat is, qui de damno infecto agere vult, an vicinus aedium ruinoſarum ſit dominus & pro qua parte, *non alienum eſt*, inquit Paulus in *l.* 10. *ff. h.t. eum, a quo damni infecti ſtipulari velimus interrogare in jure, an aedes ejus vel locus ſit, ex quo damnum timeatur, & pro qua parte: ut, ſi neget ſuum praedium eſſe, nec caveat damni infecti, aut cedere aut reſiſtendum putaverit, quaſi dolo verſatus tradere compellatur.* Quae interrogationis ratio? *ut ad eam partem* (qua dominus eſt) *ſtipulationem accommodemus. l.* 20. §. 2. *ff. eod.* Haec poteſt fieri in loco, qui proprie IUS appellatur. Poteſt etiam fieri domi vel in itinere, propter imminens periculum. Neque exſpectandum eſt, donec Praetor ad tribunal venerit, ſed locus ille ſatis bene IUS vocatur, & interrogationem in IURE eſſe factam dicitur. Si tamen neget falſo, ſuum eſſe praedium, ex Edicto de *interrogationibus in jure* convenitur ex ſuo mendacio: nam ſtatim aut cavere aut cedere debet: ſin neutrum praeſtare velit, conpellitur tradere poſſeſſionem aedium. Aliud jus eſt ex Edicto *damni infecti.* Qui cavere

non

non vult, non ſtatim cedit poſſeſſione, ſed mittitur ille, cui cavere debet, in poſſeſſionem ex primo Decreto, ut ibidem cum vicino ſit: ſi poſt primum Decretum detrectet cavere, ex ſecundo Decreto expellitur poſſeſſione. Ratio diſtinctionis eſt aperta: praeſumitur enim vicinum aedium, antequam in jus ambulatum ſit, non voluiſſe reſpondere, pro qua parte aedium dominus ſit, ſed tum demum ſe reſponſurum eſſe, ſi *in jure* ſit interrogatus; quae tamen dilatio eſt magna adeoque periculoſa. Hinc ſtatim in jure interrogatus reſpondere cogitur, & ſi non reſpondeat, compellitur tradere poſſeſſionem. Ob eandem quoque rationem *per libellum* id poterat expediri, ſi adverſarius domum Praetoris adire vel per vicos Urbis ambulare nolit, ut, ſi Praetori in itinere obviam veniat, fiat interrogatio: quum non tam facile, ut quis eat ambuletque, cogi poſſit. Opponuntur, ut notum eſt, *pro tribunali* & *per libellum* Praetorem vel Praeſidem Provinciae adiri. *l.* 2. *C. quemad. teſtam. aper.* *l.* 6. *C. de praed. minor.* Videantur Iacobus Gothofredus ad *l.* 71. *&* *l.* 105. *ff. de Reg. jur.* Noodt de *Juriſd. & Imper. Libr.* 1. *Cap.* 10. Raevardus *Potribunal. Cap.* VIII. In cauſſa ergo damni infecti, quae omnes moras praecipitat, reſcribitur per nudam ſubſcriptionem ad libellum non praeſente adverſario, &, quia volens Praetorem non adit, *nec cavet damni*

infecti, quaſi dolo verſatus tradere compellitur. Inde Praetor Edicto ſuo Magiſtratibus muncipialibus duorum decretorum jus & poteſtatem fecit: cautionis nempe exigendae de damno infecto; & ſi non caveatur, in poſſeſſionem aedium ruinoſarum mittendi: quum in iis dilatio non admittatur. Quae tamen moram admittunt, in iis Praetor deſideratur: ut notat Jacobus Gothofredus. *l. d.*

Si aequitas judicem moverit, *ubicunque* poteſt fieri interrogatio. *d. l.* 21. *ff. h. t.* Branchu *Obſervat.* xv. *ubicunque* explicat in *omni cauſſarum genere*: quomodo & accipitur in *l.* 105. *de reg. jur.* *l.* 5. §. 1. *C. de legib.* ſed *ubicunque* hic ſignificat *quovis in loco*, ut in *l.* 11. *ff. de Iuſt. & jur.* *UBICUNQUE Praetor ſalva Majeſtate, ſalvoque more majorum jus dicere conſtituit, is locus recte IUS appellatur.* Adtende ad verbum *conſtituit:* adtende quoque in *l.* 4. §. 1. ad *conſiſtat.* ut bene Raevardus. Tribunal proprie IUS dicebatur: ibidem fiebat interrogatio. Si res celeritatem deſiderat, *ubicunque* judicem aequitas moverit, *aeque*, id eſt, non eſt exſpectandum, donec Praetor ad tribunal adeſt, verum domi & in itinere *aeque*, inquam, *oportere* hoc eſt, debere *fieri interrogationem, dubium non eſt.* Ac eo nunc pertinent verba *d. l.* 4. §. 1. quod IUS dicatur, *ubi juris dicendi vel judicandi gratia conſiſtat, vel ſi domi vel itinere hoc agat.*

gat. Graeci: *εἰ καὶ ἐν οἴκῳ, ἢ ὁδῷ τοῦτο γίνεται.*

Si quaeras, an haec mea ſit horum verborum ſententia, & an id voluerit ICtus, quod IUS dicatur, ſi de plano & per libellum, quum adverſarius nolit adire Praetorem, Praetor jus dicat; vel ſi interrogatio quum adeat Praetorem, fiat domi vel in itinere? Reſpondeo poſſe ferri hanc ſententiam: nec ab analogia juris eſt aliena. Sed quum cuique liceat ſuam proferre opinionem, idem & mihi licere debet.

Deſcribitur ab Ulpiano *in princip. l.* 4. §. 1. prius, per quas perſonas IUS conſtituitur; dein locus, in quo illae jus dicunt: appellatione collata ab eo, quod fit, in eo ubi fit. Perſonae quae ſunt? *Magiſtratus Populi Romani.* An illi ſoli? vel *Praeſides Provinciarum*, qui mittebantur in provincias Caeſareas; & denique *alii judices*, id eſt, *Proconſules*, qui mittebantur a Senatu in populi Provincias. Nunc ad ſingula procedit. Romae vocatur IUS, *ubi Magiſtratus Populi Romani juris dicendi vel judicandi gratia conſiſtat.* Satis egerat de loco, ubi Magiſtratus Populi Romani jus dicit. Quid porro? Procedit ad *Praeſides provinciarum, alioſve judices*, id eſt, *Proconſules.* Ubicunque illi jus dicunt vel judicant ſive *domi* ſive in *itinere*, & is quoque locus recte IUS dicitur. Praeſidum Proconſulumque munus duplex erat: alterum

rum in jurisdictione, alterum in imperio conſiſtebat. Aeſtate rem militarem, hyeme vero jurisdictionem exercebant. Jurisdictio fiebat, quum intra praetorium ſive in cubiculo querelas Provincialium audirent, ubi, miniſtrante cubiculario; aut in Baſilica ac pro tribunali, lictoribus ac caeteris apparitoribus dignitatis cauſſa circumſtantibus, jus dicebant. *l.* 9. §. 2. *ff. de poen.* Quod ut commode facere poſſent, indicebant Edicto Provincialibus, poſtquam in provinciam venerant, conventum in certum diem: atque ita vel in uno plures conventus, vel ſingulis locis, ſingulos agebant: ita tamen ut intra annum omnes percurrerent. Theophilus ad §. 4. *Inſtit. quib. ex cauſſ. manum. non lic. l.* 2. §. 12 *ff. quis ord. in poſſ. ſervet.* Quod late ex Cicerone, Suetonio, Plinio, aliis docuerunt Sigonius *de antiq. jur. Pop. Rom. Tom.* 11. *Libr.* 11. *Cap.* 5. Heineccius in *Append. Libr.* 1. *Antiq. Roman.* §. 105. Noodt *Libr.* 1. *de jurisdict. & Imper. Cap.* 10. Quidquid ergo *domi* in oppidis jure dicundo judicandoque a Praeſibus Proconſulibusque peractum fuit, locus ille IUS eſt. Idem obtinet in *itinere*, quum omnes provinciae partes percurrentes in baſilica & pro tribunali jus dicunt. Adeoque *domi* & *itinere* magis conveniunt *Praeſidibus* & *Proconſulibus*, quam quidem *Magiſtratibus Populi Romani*: quum illi, qui provin-

vincias percurrunt, proprie *iter* facere dicantur; ſecus ac illi, qui per vias urbis ambulant. Et haec inter caeteras ratio eſt, quur per *judices* intellexerim *Proconſules*. Explicavi, quid ſit IUS.

CAPUT VI.

INTERROGATUS.

Exponam formulas a veteribus in Interrogationibus in jure uſitatas, & ſic dein tranſibo ad ICtos, qui de hac Edicti parte commentati fuerunt.

Apud Valerium Probum de *literis Antiquis* inter actionum formulas & hanc invenio. Q. I. I. T. C. P. A. F. A. quas video exponi. QVANDO IN IVRE TE CONSPICIO, POSTVLO ANNE FIAS AVCTOR? Haec Raevardus *Protribunal. Cap.* v. Alciatus ad *l.* 178. *ff. de verbor. ſign.* & omnes alii probarunt; quod & ego probo: ſi QVANDO hic accipias pro QVONIAM vel QVANDOQVIDEM, ut apud Suetonium in *vita Julii Caeſar. Cap.* XXVIII. & *vita Claudii Cap.* XLIII. Nam ſi quis QVANDO hic ſumi putaret pro adverbio, ut ſolet, temporis futuri, nullus eſſet hujus formulae ſenſus: ſed ea potius abſurdi quid contineret, ſi quis in jure adverſarium interroga-

ga-

garet, QVANDO IN IVRE TE CONSPICIO, POSTVLO ANNE FIAS AVCTOR? Dici enim non poteſt QVANDO TE CONSPICIO, ſi in jus jam ambulatim ſit, ſed dicendum erat, QVONIAM vel QVANDOQVIDEM &c. Vtraſque tamen formulas apud Antiquos in uſu fuiſſe puto.

Memini me ſupra obſervare, interrogationem in jure non ſemper fuiſſe neceſſariam: Nam ſi reus domi interrogatus reſpondiſſet, an heres ſit & pro qua parte; actor pro ea, qua dixerat, parte, actionem ſuam inſtituebat, nec iterum, quum reus reſpondiſſet ſe heredem, in jure interrogabatur. Hoc non tantum in praeparatoriis actionibus, ſed & in aliis actionibus principalibus obtinuit. Qui aliquem convenire volebat, prius explorabat, an quidquam inter parietes proficere poſſet; ſed ſi operam fruſtra abuteretur, tum demum in jus ibant. Videſis Hotomannum *ad Ciceron. in Oration. pro Publ. Quint. cap.* XI. Similiter ſi is qui conveniendus erat, domi interrogatus reſpondere nollet, actor verbis quaſi minacibus, antequam in jus venerant, utebatur hac formula: QUANDO TE IN IURE CONSPICIAM, POSTULABO ANNE FIAS AUCTOR. Senſus eſt: licet nihil, an heres ſis, vel qua ex parte, confiteri volueris, cogeris nihilominus reſpondere, quum in-

interrogatio a me apud Praetorem erit facta. Si reſpondere recuſaret, ibant in jus, & actor Praetore praeſente hâc vel ſimili formula interrogabat. AIO TE LUCII TITII HEREDEM, EX CUIUS HEREDITATE CENTUM MIHI DEBENTUR, QUANDOQUIDEM TE IN IURE CONSPICIO, POSTULO ANNE FIAS AUCTOR? Diſtinguo, ut oportet, formulam, cujus initium in interrogatione eſt, QUANDO: diſtinguo & illam, quae incipit QUANDOQUIDEM: ſaltem in jure actorem interrogationem ſuam incepiſſe per QUANDOQUIDEM teſtis eſt Cicero in *Oration. pro Caecina cap.* XIX. *actio eſt*, inquit ille, *in auctorem praeſentem his verbis:* QUANDOQUIDEM *te in jure conſpicio.* Ubi quidam prave pro *auctorem* legunt *actorem:* propterea quod, qui interrogatur, non eſt *actor;* ſed quaeritur, anne fiat *auctor*, id eſt, an is ille ſit, a quo actor jus ſuum perſequi debeat, ut bene Raevardus. Perridicula eſt ad dicta Ciceronis verba expoſitio Paſſeratii. Sed, ne nugatoria videar agere, haec praetermitto.

Pars prima formulae in interrogationibus uſitatae non ſemper eodem modo fuit concepta, ſed, ut videtur, pro lubitu actoris ſaepe mutabatur. Aliquando actor vel Praetor dicebat: AIO TE LVCII TITII HEREDEM &c. Aliquando AIO TE EX DI-

DIMIDIA PARTE ESSE HEREDEM &c. *l.* 9. §. 5. *ff. h. t.* Aliquando interrogabatur, QVOTA EX PARTE HERES ESSET. *d. l.* 9. §. 4. *ff. eod.* & ita porro. Videatur Briſſonius de *Formul. libr.* v. Pag. 396. Ex dicta formula, qua actores ſolebant interrogare, num quis heres ſit, facile liquet, quomodo & illa in aliis actionibus ſub hoc Titulo recenſitis concipi debeat. Hoc tantum noto, Cap. VII. & IX. alias, quae poſt interrogationem & ad eam factam reſponſionem adhibebantur, inveniri formulas. Ad ICtos.

Poſt Edictum Praetoris quiſque tenetur ad interrogatum reſpondere, ut eo actor portionis, pro qua parte adverſarius heres eſt, ex interrogatione certioretur. *l.* 4. *ff. h. t.* ſed quamdiu tamen juſte deliberat, reſpondere non cogitur. Id enim introductum eſt ad diſtinctionem Veterum interrogationum, quae ante Edictum Praetoris fuerunt: quoniam olim crebris ſuis interrogationibus ſolebant deliberantem praecipitare, ut reſponderet tantum: qua re ſaepe fiebat, ut lucroſam repudiarent hereditatem; nonnunquam etiam ut adirent damnoſam. Nam quemadmodum defunctorum intereſt, ut habeant ſucceſſores, ita & intereſt viventium, ne praecipitentur, quamdiu juſte deliberant *l.* 6. *ff. eod.* Neque interrogatus, an heres ſit, cogitur reſpondere, ſi controverſiam ab aliquo patiatur: quia ſi negaverit ſe

ſe heredem, teneretur in ſolidum, in caſu nempe, quo heres pronunciatus eſt. *l.* 11. §. 1. *&* 2. *ff. h. t.* Qui dixerat ſe heredem, poſtea ablata ſibi hereditate, utique in ſolidum conveniebatur. *l.* 6. §. 1. *ff. h. t.* Idem fere docuerat Cajus in *l.* 5. *ff. eod.* Quamvis *d. l.* proprie non pertineat ad Edictum de *Interrogationibus*, quoniam Cajus in *Libr. ad Edictum Provinciale* egit de perſonis, quae res alienas gerunt, ut de procuratoribus, negotiorum geſtoribus, defenſoribus, ſyndicis: quod non obſervaverat Antonius Faber in *Rational.* & ſic rationem dubitandi male propoſuit. Nam non loquitur Cajus de deliberandi tempore, intra quod heres videat, repudietne an adeat hereditatem. Si enim verba, *ad deliberandum tempus impetrare debent*, ita accipienda ſunt, quae tum illorum applicatio ad alium caſum hic expreſſum, *qui interrogatus an in poteſtate habeat eum, cujus nomine noxali judicio agitur?* omnino nulla. Sed ſenſus eſt, ſi defenſor interrogetur, an dominus abſens heres, vel quota ex parte ſit, vel an in poteſtate habeat eum, cujus nomine noxali judicio agitur, ad deliberandum tempus ille impetrare debet: quia, ſi perperam confeſſus fuerit, incommodo adficitur. Incommodum illud explicat Ulpianus in *l.* 9. §. 4. *ff. h. t. Celſus Lib.* v. *Digeſtorum ſcribit. Si defenſor in judicio* (id eſt, in jure) *interrogatus, an is,*

quem defendit, heres vel quota ex parte ſit, falſo reſponderit, ipſe quidem adverſario tenebitur; ipſi autem quem defendit, nullum facit praejudicium. Veram itaque eſſe Celſi ſententiam dubium non eſt. An ergo non videatur defendere, ſi non reſponderit, videndum? Quod utique & conſequens erit dicere, quia non plene defendit. Pro *veram itaque eſſe Celſi ſententiam*, legendum videtur *veram utique eſſe Celſi ſententiam:* quum antea nihil dictum ſit, ex quo fieret illa conſequentia. Proponit enim Ulpianus Celſi ſententiam, quam his verbis, *veram utique eſſe Celſi ſententiam, dubium non eſt*, probat: eodem modo, ut in poſterioribus, *quod utique & conſequens erit dicere:* & ita ICti paſſim. Hanc emendationem acceptam referimus viro Ampliſſimo Corn. van Bynkershoek; quem quidem cum propter familiaritatem nobis honorificam, tum maxime propter ſingularem Ejus eruditionem ſuſpicimus. Nimis acutus eſt Leoninus *libr.* III. *Emendat. Cap.* 9. quaſi in Florentino Codice comma male ſit collocatum poſt verbum *reſponderit*, quod referendum erat poſt *videndum;* & quod in ſequentibus tolli debeat particula *&*. Haec ſunt minuſcula, quae praeteriri poſſunt.

Non eſt ſemper neceſſarium, ut ordine obſervato Praetor aut actor prius interroget, ac deinceps interrogatus reſpondeat. Nam ſi reus, cui ignotum non erat, qua de re inter-

terrogandus eſſet, ante interrogationem ſe dicat heredem, habetur pro interrogato. *l.* 9. *ff. h. t. l.* 3. *ff. de auctorit. tut.* Magis tamen obtinet, ut interrogatio praecedat, & ad eam reſponſio ſequatur. Haec autem interrogatio ſolebat fieri a Praetore, nonnunquam etiam ab adverſario. Si Praetor interrogaret, nec interrogatus πρὸς ἔπος reſponderet, poterat actor iterum interrogare, ut clarius ad rem reſponderet: alioquin, ſi ambiguis reſpondens ſit uſus verbis, metuendum eſt, ne inſtituta actione actor aliquid damni ſentiat. Sic quoque actore interrogante, ſi ad interrogatum non reſpondeatur, aequum eſt, ut Praetor rurſus interroget. *l.* 9. §. 6. *h. t.* in verbis *plenius reſpondere jubeat.* Atque inde *interrogatum non ſolum a Praetore accipere debemus, ſed & ab adverſario. d. l.* 9. §. 9. *ff. h. t.* ubi Antonius Faber *in Rational.* ad poſteriores leges denuo perverſe rationem dubitandi protulit; & per conſequens quoque illas male explicavit; quaſi vero majoris poteſtatis eſſet interrogatio ab adverſario facta, quam quae fieret a Praetore, ut, ſcilicet, interrogatio a Praetore facta pareret actionem interrogatoriam; non propter auctoritatem Praetoris, ſed ex reſponſione ejus, qui interrogatur, & propter mendacium: quae vero fieret ab adverſario, pareret actionem ex quaſi contractu, hoc eſt, quod perinde conveniretur ex ſua

F 2 re-

reſponſione, ac ſi ipſe contractum celebraſſet: quod ſecus eſt, inquit, ſi reus a Praetore ſit interrogatus: quia non eſt Praetoris aut contrahere, aut contractum, qui nullus interceſſit, pro eo haberi, ac ſi interceſſiſſet. Idque colligit ex *d. l.* 11. §. 9. *h. t. Qui interrogatus reſponderit, ſic tenetur, quaſi ex contractu obligatus, pro quo pulſabitur, dum ab adverſario interrogatur. Sed & ſi a Praetore fuerit interrogatus, nihil facit Praetoris auctoritas, ſed ipſius reſponſum ſive mendacium.* Verum hic nihil facit auctoritas Praetoris, ſed idem eſt, utrum quis a Praetore an ab adverſario interrogetur. Quae ergo cauſſa, quur majoris momenti foret interrogatio Praetoris, quam ipſius adverſarii? Actio interrogatoria oritur ex reſponſione vel mendacio interrogati; nec intereſt, utrum Praetor, an adverſarius interroget: nam interrogatio & ad eam reſponſio hic vocatur *quaſi contractus*, ut jam obſervavit Cl. Huberus in *Praelect. ad h. t. num.* 2. Reſponſio tamen interrogati eſt acceſſorium rei principialis: adeoque, ſi dixerit ſe heredem, vel ſi mentitus ſit, quum reſponderit ſe ex aſſe heredem, dum tamen tantummodo ex quadrante ſit, *pro eo pulſabitur*, id eſt, propter ſuam reſponſionem, ſive veram ſive falſam, in ſolidum convenietur. *l.* 11. §. 1. *&* 2. *ff. h. t.*

Qui interrogare interrogarique poſſint, debent habere legitimam perſonam ſtandi in ju-

judicio. *Si ſervus interrogetur, nulla erit interrogatio: non magis, quam ſi ſervus interroget* *l.* 9. §. 2. *ff. h. t.* Neque etiam *alius pro alio debet reſponderi cogi, an heres ſit: de ſe enim debet quiſque in judicio* (id eſt, in jure) *interrogari; hoc eſt, cum ipſe convenitur. l.* 9. §. 3. *ff. eod.* quia ſcilicet ex reſponſione ejus, qui principali actione conveniri debet, naſcitur actio interrogatoria. Nemo enim interrogare poteſt, niſi qui habeat actionem aliquam. Quae alioquin interrogationis utilitas? Sed ratio quoque poſtulat, ut quiſque interrogetur, qui conveniri debet, non vero alius. *l.* 13. *ff. h. t.*

Sed quid dicemus de filio, qui patrem defendere vult, an cogitur de patre reſpondere? ſaltem, ſi taceat, pro interrogato non habetur, arg. *l.* 19. *ff. h. t. ſi filius, quum pro patre ſuo ageret, taceat interrogatus, omnia perinde obſervanda erunt, ac ſi non eſſet interrogatus.* Haloander & Duarenus legunt, *ſi filius, qui cum patre ſuo ageret.* Et ante eos ita quoque Accurſius, qui *d. l.* accipit de filio, qui agit cum patre aut agere vult, & viciſſim pater cum filio: nam interrogatus filius, inquit, ſi taceat, nulla eſt interrogatio, quia nulla poteſt eſſe lis inter patrem & filium, uti nec eſſe poteſt inter ſervum & dominum. *l.* 9. §. 1. *ff. h. t.* & hanc Accurſii ſententiam etiam amplexus eſt Antonius Faber in Rationál. ad *d. l.* 19. Quae tamen, ſi dicam, ut res eſt,

a juris ratione abhorrent. Quid enim? contradicto in terminis eſt, ut loquuntur in ſcholis, nulla poteſt eſſe lis inter patrem & filium, & nihilominus inter eos poteſt, dicunt, fieri interrogatio: & quid tum? ſi filius interrogatus taceat, omnia perinde habentur, ac ſi non eſſet interrogatus. Haec, credo, nemo intelliget. Quid proficeret interrogatio illa, ſi nulla inter eos lis excogitari poſſit, niſi de peculio caſtrenſi. *l.* 14. *ff. de jud?* ſi vero nulla interrogatio, quur Papinianus diceret, ſi filius, qui cum patre ſuo ageret, taceat, eum pro interrogato non haberi? Non eſt ICtorum mos, ſimile quid proferre, vel de jure ita ratiocinari, de quo nunquam lis fuit, nec eſſe poteſt.

Aliter Cujacius ad *libr.* VIII. *Quaeſt. Papiniani* in explicatione *d. l.* 19. qui Lectionem Florentinam, ut & ego, retinet. Sed nec magnus ille Cujacius ſenſum dictae Legis percepit. Rationes, quas adtulit pro intellectu legis ſenſus, ſunt ſubtiles. Filius, inquit, poteſt agere pro patre, etiam ſine mandato. *l.* 35. *ff. de procurat.* non tamen recte agit pro patre, ſi non caveat, nec ſatisdet judicatum ſolvi, quoniam nemo ſine ſatiſdatione judicatum ſolvi alienae litis idoneus eſt defenſor. §. 1. *Inſt. de ſatisd.* Filius ergo, qui agit pro patre, interrogatus ab adverſario, ſi taceat,

non

non defendit patrem: nulla eſt actio: nullum judicium: nulla interrogatio igitur & inanis ac proinde nulla taciturnitatis poena, ſed omnia obſervantur, ac ſi nulla facta eſſet interrogatio. Verum ut ei videtur, obſtat *l.* 39. *ff. de Procurat.* ubi procurator alieno nomine agens & interrogatus, num dominus ſit heres, ſi reſponderit eum heredem, tenetur ex Edicto de *Interrogationibus in jure faciendis.* Idem eſt, ſi tacuerit, adeoque omnia non obſervantur, ac ſi non eſſet interrogatus, quum ex taciturnitate procurator teneatur. Sed reſpondet, quod non teneatur hoc Edicto in ſolidum, quod tacuerit, quum tacendo actionem a ſe inſtitutam reddiderit nullam, ſed tenetur, quod tacuerit, ex ſtipulatione judicatum ſolvi: quoniam dominum non defendit. Hinc filius, qui agit pro patre & etiam reconvenitur, debet ſatisdare judicatum ſolvi. *l.* 14. *ff. qui ſatisd. cog.* Filius itaque, ex illius ſententia, agit patris nomine; & eodem etiam nomine agit cum eo is, cum quo ipſe experiebatur. Mutuae ergo actiones, mutuae petitiones & mutuae ſatisdationes judicatum ſolvi. Quid nunc? filius in jure interrogatus ſi taceat, an tenetur? non tenetur, inquit, ex hoc Edicto de *Interrogationibus in jure faciendis*, ſed tenetur ex clauſula *de re defendenda*, quae ineſt *ſatisdationi judicatum ſolvi*, quod rem non defenderit, hoc eſt, quod tacuerit. Ita ille.

 Con-

Confundit Princeps ICtorum interrogationes, ex quibus actiones interrogatoriae oriuntur, quaeque ſunt praeparatoriae, cum actionibus, quibus in judicio principali contenditur. Nuſquam, quod ſciam, legi, procuratorem, antequam interrogabat vel interrogabatur, praeſtitiſſe ſatisdationem judicatum ſolvi: haec enim ſatisdatio ſemper perficiebatur ſtatim ante litis conteſtationem, quae omnino non fiebat in interrogationibus. Si vero conſtiterit de qualitate ejus, adverſus quem agi debet, tunc demum fit ſatisdatio, ac deinde litis conteſtatio. Nec ab his recedit ipſe Cujacius *Libr.* x. *Obſervat.* 29. *Cavere* autem *judicatum ſolvi* ſignificat ſolutum iri, ſi fuerint condemnati. Nulla tamen fit condemnatio, ſi interrogatus reſponderit ſe heredem; ſed ſequitur illa, poſtquam res principalis in judicium deducta eſt. Procurator, qui habet mandatum, ſi interrogatus reſponderit, tenetur dominus ex reſponſione procuratoris. Verum ſi taceat, aeque tenetur ex Edicto de *Interrogationibus in jure faciendis*, propterea quod, qui tacuit apud Prætorem, *inſtituta actione*, id eſt, principali, in ſolidum conveniatur. *l.* 11. §. 4. *ff. h. t. l.* 39. *ff. de procurat.* Non, quod reddiderit actionem a ſe inſtitutam nullam, ac quod ideo teneatur ex ſtipulatione judicatum ſolvi, ut ait Cujacius: nam ut vides, praeparatorias ab aliis actioni-

bus

bus principalibus non diſtinguit. Procurator ſi interrogetur, nullam ab eo inſtitutam eſſe actionem dici poteſt, quum illa ab eo, qui interrogat, inſtitui debeat: neque unquam in iis, in quibus interrogatio eſt neceſſaria, ante interrogationem inſtituebatur actio, ſed tum demum, quum prius interrogatio eſſet facta. Defenſor tamen, ſi taceat interrogatus, quia non plene defendit, ipſe tenetur, nec ei, quem defendit, ullum facit praejudicium. *l.* 9. §. 4. *ff. h. t.*

Transeamus ad filium. An filius, qui pro patre agit, ſatisdare judicatum ſolvi tenetur? nullum eſt dubium, ſi de re quadam patris ſit quaeſtio. *l.* 14. *ff. qui ſatisd. cog.* Sed an tenetur in interrogationibus, quae praeparatoriae, adjectitiaeque qualitates ſunt actionis principalis? id mihi non liquet. Filius, qui patrem defendit, habet mandatum, vel minus. ſi prius; pater ex filii interrogati reſponſione tenetur. Si taceat filius, tenetur quoque ob idem mandatum ex hoc Edicto: quoniam, qui tacet, pro confeſſo praeparatorie & reſpectu qualitatis patris, non vero de re principali, habetur. *l.* 11. §. 4. *ff. h. t.* quod demonſtrabo *Cap.* x. Si poſterius; pater ex reſponſione vel taciturnitate filii non tenetur, & habentur omnia, ac ſi non eſſet interrogatus. Intervenit hic ratio naturalis, ut filius, quantum in ſe eſt, patrem defen-

 dat,

dat, non tamen ut patri adferat damnum, quum reſpondeat inſcio patre. Et inde eſt, quod filius ſine mandato patris defendere patrem poſſit. *l.* 35. *ff. de procurator.* Sic quoque magna eſt differentia inter defenſorem & filiumfam. Qui defendit abſentem & ignorantem, ſuo periculo hoc facit: quum culpa ſit, ſe immiſcere rei ad ſe non pertinenti. *l.* 36. *ff. de Reg. Jur.* Ne tamen judicium redderetur eluſorium, ſi taceat, ipſe interroganti tenetur, nec ipſi, quem defendit, facit praejudicium. *d. l.* 9. §. 4. *ff. h. t.* Filius, qui tacuit, non tenetur actione interrogatoria, quum nil, quod ſuum eſt, habeat; ac praeterea, quod in interrogationibus non interponatur ſtipulatio judicatum ſolvi: adeoque nulla eſt taciturnitatis filii poena, ſed omnia habentur, ac ſi interrogatus non eſſet. Aliter obtinet, ſi patrem defendat in judicio principali, in quo filius aeque ac defenſor ſatisdare debet judicatum ſolvi: nam ſi pater id, quod a filio actum eſt, improbet, fidejuſſores conveniuntur, quod, ut dixi, ſecus eſt in interrogationibus.

C A-

CAPUT VII.

RESPONDERIT, QVA EX PARTE HERES BONORVMVE POSSESSOR SIT.

E*dictum de Interrogationibus ideo Praetor propoſuit, quia ſciebat difficile eſſe ei, qui heredem bonorumve poſſeſſorem convenerit, probare, aliquem eſſe heredem bonorumve poſſeſſorem. l. 2. ff. h. t.* Aditio hereditatis difficilis eſt probationis, quoniam conſiſtit in nuda & occulta voluntate; cujus, inquit pius Accurſius, ſolus ſcrutator Deus eſt. Probo. Sed *Nil hoc ad Edictum Praetoris:* ut Cujaciana paroemia utar. Quae ergo ratio Juris Civilis? reſpondet Paulus in *l. 3. ff. h. t. Quia plerumque difficilis probatio eſt (aditae) hereditatis.* In aliis Editionibus eſt *editae*, ut teſtatur Baudoza; cujus lectionis ſenſum non intelligo. In Haloandrina deeſt *aditae*, quae tamen vox adeſſe debet: nihil enim quidquam caeteroquin haberetur in *d. l. 3.* quam quod ab Ulpiano in *l. 2. ff. eod.* dictum fuiſſet. Graeci bene habent, ἢ ὑπεισελθεῖν τὴν κληρονομίαν. *vel hereditatem adiiſſe.*

Haec autem aditio facti eſt & animi. Facti: quum *cernendo* quis adiret hereditatem. QVVM MAEVIVS HEREDEM ME IN-

INSTITVERIT, EAM HEREDITATEM ADEO CERNOQVE. Animi: ſi aditio ſiat *pro herede geritione*; quum quis rebus hereditariis tanquam dominus utatur. Nam ut ait Feſtus: *heres apud antiquos pro domino putabatur*, eaque aditio magis animi eſt, quam facti. *l.* 20. *ff. de adquirend. hered.* Nunquam vero actor ſcire poterat, aliquem ſe pro herede geſſiſſe, quia id conſiſtit in occulta voluntate. Sic quoque in cretione hereditatis: quum facta non praeſumantur, niſi probentur. *l.* 23. *C. de probat.* Ac proinde interrogatio neceſſaria eſt, ut actor ſcia an heres ſit & pro qua parte: ne plus petendo in periculum plus petitionis incurrat. *l.* 1. *ff. h. t.* Si tamen ſciat, pro herede geritione aditam eſſe hereditatem, vel quod ipſe actor fuerit teſtis, quum heres adiret cerneretque hereditatem, heres non interrogabatur: quia actor de qualitate heredis jam certior erat factus, ita ut ſine metu plus petitionis heredem convenire poſſet; quo pertinet particula illa *plerumque*, ut jam alibi monui.

Reſpondere in jure interrogatus non tantum quis cogitur, *an heres ſit? l.* 5. *l.* 6. §. 1. *ff. h. t.* ſed etiam pro qua parte: puta an *pro dimidia* an pro *quadrante* ſit heres. Si reſponderit *heres ſum*, ad interrogatum reſpondit. *l.* 5. *l.* 9. §. 4. §. 5. *l.* 11. §. 1. & 6. *ff. eod.* Ac denique, *qualis ſit heres*, reſpondere debet,

utrum

utrum ex teſtamento; & utrum ſuo nomine ei ſit quaeſita hereditas, an per eos, quos ſuo juri ſubjectos habet; vel per eum, cui heres extitit? ſummatim igitur Praetor cognoſcere debebit; quum quaeratur, an quis reſpondere debeat, quo jure heres ſit, ut ſi valde intereſſe comperit, plenius reſpondere jubeat. Quae obtinere debent non ſolum in heredibus, ſed etiam in honorariis ſucceſſoribus. l. 9. §. 6. ff. h. t. Porro. *Julianus ſcribit, eum quoque, cui hereditas eſt reſtituta, debere in jure interrogatum reſpondere, an ei hereditas ſit reſtituta. d. l. 9. §. 7. eod.* Ad quas leges vide Antonium Fabrum in *Rational.* qui illas optime explicavit, quae non deſcribam. Res in dubium non venit, interrogationes etiam locum habuiſſe in bonorum poſſeſſionibus: quia loco heredis eſt bonorum poſſeſſor. *l. 1. l. 2. l. 3. ff. eod.*

Mentionem tantum fecerat Praetor heredis, bonorumve poſſeſſoris; non vero aliorum, in quibus olim interrogatum fuit, quique ſub hoc Titulo enumerantur. Rationem reddit, Cl. Noodt in Commentar. ad *h. t.* & ante eum Cujacius ad *Libr.* VIII. *Quaeſtion. Papiniani* in *l. 19. ff. h. t.* quod nempe lege XII. Tabb. cautum fuerit, NOMINA PRO PORTIONIBUS INTER HEREDES HEREDITATIS ERCTA CITA SVNTO. Qui ergo heredem convenit, ei cavendum eſt, ne

ne plus petat, quam Lege XII. Tabb. erat licitum, alioquin cauſſa caderet: quia non, ut oportet, egerat. Fallor, aut haec eſt ratio, quur interrogatio neceſſaria & inventa fierit; ne, dum ignoret actor, qua ex parte adverſarius defuncto heres exſtiterit, interdum incommodo adficiatur. *l.* 1. *ff. h. t.* non autem, quod Praetor de aliis reticuerit, & tantummodo heredem bonorumve poſſeſſorem memoraverit. Sed haec forte fuit ratio: quotidie accidebat, ut quis, neſcius pro qua parte heres eſſet reus, heredem in ſolidum conveniret; quo caſu actor propter plus petitionem cauſſa cadebat, ſiquidem reus tantum ex parte erat heres. Hinc multae lites, multae querelae. Saepe etiam dolo heredis erant inducti, ita ut indies Praetorem adirent, ut in integrum reſtituerentur, quum tamen poſt Edictum quidam expreſſi ſunt caſus, in quibus reſtitutioni erat locus. *l.* 1. §. 3. 8. 10. 11. *&* 12. *ff. h. t.* De aliis hoc non ita erat obvium, ut de peculio, de aetate, de damno infecto & ſimilibus: jam autem jura conſtituuntur, ut dixit Theophraſtus, in his, quae ἐπὶ τὸ πλεῖστον accidunt, non quae ἐκ παραλόγου. Et haec cauſſa eſt, quod Praetor heredis bonorumve poſſeſſoris meminerit: quamquam ICti ad intentionem Praetoris & alias actiones perſonales, in quibus certum petitur, retulerunt, eodem modo

ut

Digitized by Google

ut *poſteriores*, ſcilicet Juriſconſulti, ſecundum Edicti partem, QVI OMNINO NON RESPONDERIT, *ſic exceperunt; ut omnino non reſpondiſſe videatur, qui ad interrogatum non reſpondit, id eſt* πρὸς ἔπος. *l.* 11. §. 5. *ff. h. t.*

Praeter tres caſus, nempe an quis heres ſit, pro qua parte, & qualis ſit heres, praeter hos, inquam, caſus, & octo alios, in quibus interrogationes locum habent, enumerat Accurſius ad *l.* 1. *ff. h. t.* Tertius eſt ergo in *l.* 5. *ff. h. t. an in poteſtate habeat eum, cujus nomine noxali judicio agitur?* id eſt, *agetur*, quia quum interrogatur, an ſervum habeat in poteſtate, ſimul non agitur noxali judicio, ſed agetur poſt factam interrogationem. Quartus eſt, an *quadrupes, quae pauperiem fecit, ejus ſit? l.* 7. *ff. h. t.* qui caſus ad hoc Edictum referri debet; licet Ulpianus in Libr. XVIII. ad *Edictum* non egerit de interrogationibus in jure, ſed de quadrupede, quae pauperiem fecit, de lege Aquilia, de Noxalibus actionibus, ceu conſtat ex *l.* 1. §. 15. *ff. ſi quadrup. paup. fec. dic.* Hinc Pratejus *Libr.* 1. *Gemmat. Cap.* 150. putat, hic proferri eadem ex eodem Ulpiani loco verba *dd. ll.* quaſi, etſi diverſa ſpecie, Tribonianus & Collegae non alio conſilio duplicaſſent, quam ut idem reſponſum ab his diſſectum variis titulis ſubſerviret, quum ſatis fuerit, alterutri Titulo rem omnem interjicere. Contradicit ſibi;

aut

aut ejus verba non intelligo. Nam confitetur. *dd. ll.* diverſae eſſe ſpeciei, ac poſtea Tribonianum Collegaſque accuſat, idem reponſum eademque verba diſſecuiſſe. Sane quod *dd. ll.* ſenſus non perceperit, audies ex ſequentibus. Quinimo, inquit, nec quod *d. l.* 7. *ff. h. t.* refertur, ab Ulpiano proditum exiſtimare poſſum, quum id extra dubium ſit, reſpondentem obligari: idque ex verbo *conſtiterit* in *d. l.* 1. §. 15. *ff. ſi quad. paup. fec. dic.* ex Ulpiani ſententia ad ajentem reſponſionem producto manifeſtius, quam quod diceretur, liquebat.

Proferam utriuſque legis verba. *Interdum, autem dominus in hoc non convenietur, ut noxae dedat, ſed etiam in ſolidum: ut puta, ſi in jure interrogatus, an ſua quadrupes eſſet, reſponderit non eſſe ſuam: nam ſi conſtiterit eſſe ejus, in ſolidum condemnabitur. d. l.* 1. §. 15. *ff. ſi quadrup. paup. fec. dic.* Lex XII. Tabb. voluit, aut dari id animal, quod noxiam commiſit, aut aeſtimationem noxiae offerri, de quo poſtea a Praetore Edictum eſt propoſitum. *l.* 1. *ff. eod.* Hinc ſi interrogatus in jure, *an ejus ſit quadrupes, quae pauperiem fecit*, falſo reſponderit ſuam non eſſe, non liberabatur noxae deditione, ſed in ſolidum condemnabatur. Verbum *conſtiterit* referendum eſt ad interceſſionem Praetoris. Quum enim interrogatus in jure negabat, intercedebat

bat Praetor, SI NEGAT, SACRAMENTO QVAERITO; quo, ſi probatum eſſet, ejus eſſe animal, *conſtabat*, eum eſſe auctorem. Duplex adeoque iſtius mendacii eſt poena: prima, quod ex ſacramenti ſponſione quinquaginta aſſes, quorum facta erat ſponſio, ſolvere deberet; altera, quod *in ſolidum condemnaretur*. Haec tamen poena non deſcendit ex Edicto de *Interrogationibus in jure faciendis*. Sed ex eo, quod propoſitum erat, *ſi quadrupes pauperiem feciſſe dicatur:* quo pertinent verba *d. l. interdum autem dominus IN HOC non convenietur*. Quid eſt IN HOC? non convenietur ſcilicet in noxae deditione, qua de in §§. praecedentibus erat actum; ſed propter mendacium, ut noxiam ſarciat. Idem eſt in ſervo, ut docet Ulpianus in *l. 17. ff. h. t. Si ſervus non ſit unius, ſed plurium, & omnes mentiti ſint, eum in ſua poteſtate non eſſe, vel quidam ex illis aut dolo fecerunt, quominus ſit in poteſtate, unuſquiſque tenebitur in ſolidum, quemadmodum tenerentur, ſi haberent in poteſtate*. Vides? quoniam mentiti ſunt, quod teneantur in ſolidum, non ex Edicto de *Interrogationibus* ſed de *Noxalibus actionibus*. Poſteriora verba paulo ſunt obſcuriora, *quemadmodum tenerentur, ſi haberent in poteſtate*. Accurſius ſupplet *& negarent;* quod non quadrat, quia tum idem per idem diceretur. Antonius Faber in *Rational.* forte melius, *nec vellent*

noxae dedere, quo in caſu ſemper in ſolidum tenentur. Puto ego eaſdem ſpecies, quae habentur in *d.l.7.ff.h.t.* & in *l.*1. §.15.*ff. ſi quad. paup. fec. dic.* diſtingui, niſi quod differant, quod in illis quadrupedis, in hac vero ſervi fit mentio. Domini in jure interrogati, an ſervum habeant in poteſtate, ſi mentiti fuerint, in ſolidum, conveniuntur ex Edicto de *Noxalibus actionibus*. Sed ſi interrogati reſponderint ſuum eſſe ſervum, qui non eſt, tenebuntur in ſolidum, quemadmodum ſi haberent in poteſtatè: quod venit ex Edicto de *Interrogationibus in jure*: quoniam illi, qui mentiti ſunt, eodem modo ac verus dominus ſervi, tenentur in ſolidum; ſed liberantur ut dominus, noxae deditione, quam ſi mendaces dare nequeant, omne damnum reſarcire debent.

Multis non erit opus verbis, ut ſenſum dicam *l.7.ff.h.t.* *Si quis in jure interrogatus, an quadrupes, quae pauperium fecit, ejus ſit, reſponderit, tenetur.* In. *l.*1. §.15.*ff. ſi quad. pau. fec.* mentiebatur dominus, quadrupedem non eſſe ſuam. in *d.l.*7. vero falſo quis reſpondit ſuam, quae non eſt. Quae nunc poena? electionem habet, ut verus dominus, utrum detur animal, an noxiae aeſtimationem offerat. Si autem animal a domino vero redimere nequit, in ſolidum convenitur ex Edicto de *Interrogationibus in jure;* quia verus do-

dominus, ſi cum eo actum ſit, liberatur hac actione propter mendacium reſpondentis, & reſpondens tenetur, ut dominus: quo caſu, ſi non detur animal, noxiam reſarcire debet, ne caeteroqui dominus, ſi nollet vendere ſuam quadrupedem, hac ratione cogeretur, ut vendat; quod ſecundum regulas juris fieri non poteſt. Atque ita reſpondens impunitus maneret, dominuſque verus iterum teneretur, nec actione liberaretur. Adeoque *dd. ll.* diſcrimen eſt maximum. In illa negat, ſuum animal, in hac reſpondet ſuum, quod non eſt. Diverſae ergo ſpecies, diverſa Ulpiani reſponſa non eodem tendentia. Id quidem negare non audeo, melius elegantiuſque futurum fuiſſe, ſi ſub eodem Titulo diverſae illae Ulpiani ſententiae fuiſſent relatae, & ut eodem legerentur ſpiritu; quod voluit. Ampl. Brenckman in *Diſputat.* de *Legum Inſcript.* §. x. Maluit tamen Tribonianus omnes actiones, quae ad hoc Edictum pertinent, ſub hoc Titulo recenſere. Quapropter dicta verba Ulpiani in *l.* 7 *ff. h. t.* inveniuntur, quorum alias ſub titulo *ſi quadrupes pauperiem feciſſe dicatur*, locus eſſet, quae ibidem omiſit, ne geminationis accuſaretur, ut ſolet Pratejus.

Quintus eſt caſus: *an aedes ejus vel locus ſit, ex quo damnum timeatur?* Sextus: *pro qua parte? l.* 10. *ff. h. t.* adde *l.* 20. §. 2. *ff. eod. Idem & ſi damni infecti caveamus: nam & hic re-*

ſpondere debet, quota ex parte ejus ſit praedium, ut ad eam partem ſtipulationem accommodemus. Poena autem non repromittentis haec eſt, ut in poſſeſſionem eamus: & ideo pertinet ſcire, an poſſideat Pro *idem &* legit Baudoza *idem eſt*. Non intercedo. Antonius Faber *caveamus* mavult *caveat*, vel *caveat quis*, quia mox ſequitur in tertia perſona, *nam & hic reſpondere debet, quota ex parte ejus ſit praedium.* Sed perperam. Verbum enim *caveamus* referri non poteſt ad ea, quae ſequuntur in tertia perſona, verum ad verba, *ut ad eam partem ſtipulationem accommodemus*, quae intelligi debent de perſona interrogantis, alia autem de interrogati. Graeci καὶ τὸ ἐλπιζομένης συμπτώσει ἀγωγῆς. *& qui convenitur damni infecti*. Fit hac de re interrogatio, quia poſtulatio cautionis damni infecti perſonalis eſt actio. *l.* 3. §. 1. *l.* 6. §. 6. *ff. de Aqua & aquae pluv. arc.*

Septimus: *An peculium apud eum, cum quo agitur, ſit. l.* 9. §. *ult. ff. h. t.* Quo caſu non cogitur pater vel dominus reſpondere, an in poteſtate filium vel ſervum habeat, quoniam de peculio tantummodo convenitur.

Octavus. *De aetate quoque [interdum] interrogatus reſpondere debebit. l.* 11. *ff. h. t.* Accurſius & poſt eum Antonius Faber in *Rational.* accipiunt *d. l.* de reo non de actore interrogante: ſed qua ratione, non profe-runt.

An-

Antequam actor agat, de aetate, ſi dubitat actor, interrogare poteſt, adeo ut minor ex ſua reſponſione teneatur, niſi ſi reſtituatur. *l.* 6. §. 5. *ff. de Confeſſ.* Tempore Diocletiani & Maximiani, qui dolo ſe dixerat majorem, amittebat aetatis benificium *l.* 3. *C. ſi min. ſe major.* Quo male Faber *l. d.* retulit. Fit de aetate *interdum* interrogatio. Nam, quamvis Taurellius in Pandectis Florentinis * *interdum* * duobus aſtericis ſignavit, ut pote vocem per antiquum Librarium additam, non vero in contextum Pandectarum inſertam, quae & in vetuſto Exemplari omittitur, ut teſtis eſt Baudoza; poteſt tamen ea ferri. Interrogatio aliquando neceſſaria eſt, licet quis ad Legitimam pervenerit aetatem. Solet ea quidem ex adſpectu hominis colligi, qui nihilominus ſaepe fallax eſt: nam ut barba non facit Philoſophum, ita nec majorennem. Exemplum eſt in *l.* 32. *ff. de minorib.* Tutius eſt ergo, priuſquam agat judicio principali actor, ut de aetate interrogetur. Si enim adverſus minorennem, qui ſe majorennem dixerat, agatur propter actionem interrogatoriam ex ejus reſponſione natam, actor cauſſa non cadit; quam tamen amiſiſſet, ſi egiſſet adverſus minorem non interrogatum, propter illud Praetoris, eum, ſi non, ut oportet, egiſſet, cauſſa caſurum eſſe. Diu multumque dubitavi hanc eſſe veram ICti ſententiam.

Nam, ſi reſponderit minor, tenetur ille quidem ex ſua reſponſione actione interrogatoria, ſed poteſt tamen a Praetore reſtitui. *d. l.* 6. §. 5. *ff de Confeſſ.* Si ergo reſtituatur a Praetore, quid tunc juvat interrogatio: Verum jam alibi dixi, interrogationes non tantum eſſe inventas ne quis ſumma plus peteret, ſed eas & in aliis plus-petitionibus habuiſſe locum. De tempore hic agit Ulpianus, quo de ponam caſum. Si Titio uſusfructus ſit legatus, puta, ad annum aetatis trigeſimum uſque, quod fieri poteſt. *l.* 11. *l.* 35. *ff. de uſu & uſufr. leg.* iſque ſtipulanti ſpoponderit ſe tunc reſtituturum; & heres proprietarii defuncti, neſcius de aetate Titii, ut ſibi reſtituatur uſusfructus, agere velit, de aetate reſpondere debet Titius interrogatus: &, ſi falſo reſponderit, ſe jam impleviſſe legitimam aetatem, tenetur ex ſua reſponſione, & uſumfructum proprietario tradere debet. Et ita in ſimilibus.

Nonus & decimus: *an fundum poſſideat, & quota ex parte? l.* 20. §. 1. *ff. h. t.* Cujus legis ſenſum non percepit Accurſius, quum dicit hic interrogari, *an poſſideat ille, contra quem agitur in rem & pro qua parte.* nam interrogationes non habuerunt locum in actionibus in rem, ſed tantum in perſonam. Nec ab ea ſententia multum recedit Faber in *Rational.* Melius Cujacius ad *Pauli Libr.* 11. *Quaeſtion.* in *d. l.* 20. §. 1. *ff. h. t.* accipit de debitore prae-

praeſente, qui rem ſuam pro parte defendit. adde *l.* 52. *ff. de Reg. jur.* Si interrogatus quis ſit a creditoribus, an fundum poſſideat, vel pro qua parte, & mentiatur, creditores in fundum mittuntur; vel ſi minore ex parte poſſidere ſe dicat, in aliam partem, quae non defenditur, in poſſeſſionem fit miſſio.

Undecimus & quidem generalis additur caſus ab Accurſio ex *l. pen. ff. h. t.* Sed *Capite V.* multis oſtendi, Accurſium errare. Omiſit caſum in *l.* 13. *ff. h. t.* ubi pater interrogari poſſit, *an ſuus ſit filius?* vide quoque *l.* 8. §. 8. *ff. eod.*

Abſolvi caſus, in quibus ad interrogatum, ſive vere ſive falſo interrogatus reſpondeat, ex ſua reſponſione tenetur. Sed quid ſi actor interrogaret an heres ſit & pro qua parte, & interrogatus perfrictâ fronte negaret ſe heredem? Praetor intercedebat. SI NEGAT SACRAMENTO QVAERITO. Tum actor: QVANDOQVIDEM NEGAS, TE SACRAMENTO QVINQVAGENARIO PROVOCO. Feſtus in voce *ſacramentum* illud definivit: *ſacramentum*, inquit, *aes ſignificat, quod poenae nomine penditur, ſive eo, qui interrogatur, ſive contenditur. Id in aliis rebus quinquaginta aſſium eſt: in aliis quingentorum inter eos, qui judicio inter ſe contendunt.* Nec aliter Varro *Lib* IV. *Cap.* 36. *Sacramentum a ſacro. Qui petebat & qui inficiabatur de aliis*

rebus uterque quingentos aeris ad pontem deponebant. De aliis rebus item certo alio legitimo numero aſſium. Qui judicio vicerat, ſuum ſacramentum a ſacro auferebat: victi ad aerarium redibat. Scaliger in margine notat *quingenos* pro *quingentos aeris ad pontificem dependebant.* Hotmannnus quoque ad *Ciceronem* pro *Quintio Cap.* VIII. legit ad *pontificem.* Antiqui enim ſcripſerunt PONTEM pro *pontificem.* ut in Inſcriptionibus Gruteri & Reineſii ubique videbis, & exempla habet Sertorius Urſatus *de Notis Romanor.*

Sacramentum, quo quis dicitur interrogari, in aliis rebus eſt *quinquaginta aſſium;* in aliis *quingentorum.* Sed in quibus? diſtinguunt Feſtus & Varro inter actiones perſonales & reales. Qui negat ſe heredem, actor eum ſacramento provocabat. Q. N. T. S. Q. P. quidam expoſuerunt, QVANDO: ſed ſupra obſervavi, formulam incepiſſe, QVANDOQVIDEM NEGAS, TE SACRAMENTO QVINQVAGENARIO PROVOCO. Valerius Probus, Briſſonius, Manutius, Scaliger, Sertorius Urſatus & Raevardus *Protribun. Cap.* V. habent *quinquagenario.* At Heineccus *Antiquit. Roman. Lib.* IV. *Tit.* 6. §. 25. legit *quingenario.* Ut ut eſt. Si priorem expoſitionem probes, ſacramentum in perſonalibus erat quinquaginta aſſium; ſin poſteriorem, quingentorum. Formula illa provo-

ca-

cationis non quidem habuit locum in realibus actionibus: quia, quum vindiciae dictae eſſent, poſſeſſor, ut negans, provocari non poterat, ut diceret ſe poſſeſſorem, dum id conſtaret ex vindiciis: ſed ſacramentum in ipſa rei vindicatione ſuum habuit uſum: ut *Capite ſequenti* dicendum erit.

Provocatio ergo fiebat, QVANDOQUIDEM NEGAS TE SACRAMENTO QVINQVAGENARIO PROVOCO, SPONDESNE TE DATVRVM QVINQVAGINTA, SI AVCTOR SIS? Paulo aliter Scaliger ad Feſtum voce *conſponſor*. QVANDOQVIDEM NEGAS, TE SACRAMENTO QVINQVAGENARIO PROVOCO, QVA DE RE PETO LAVDABILITER JVRA. Id forte propter verba Feſti, *Sacramento dicitur, quod jurisjurandi ſacratione interpoſita actum eſt, unde quis ſacramento dicitur interrogare, quia jusjurandum interponitur.* Sequar Heineccium, quum eodem redeat. Interrogatus ſtipulabatur, SPONDEO QVINQVAGINTA SI AVCTOR SIM; id eſt, ſi probaveris me auctorem. Fiebat reſtipulatio: TV VERO SPONDESNE IDEM, NISIM? Quibus actor; ET EGO QVOQVE SPONDEO. Si ab actore probatum eſſet, reum eſſe auctorem, hoc eſt, eum, a quo actor jus ſuum perſequi debet, ſequebatur ipſius actionis in-

inſtitutio. Adi Sigonium *Tom.* 11. *de Antiq. jur. Pop. Rom. Libr.* 1. *de judic. Cap.* 21. Heineccium *l. d.* Budaeum ad *l.* 2. §. 24. *ff. de Orig. jur.*

Ne confundas, velim, ſacramentum cum ſponſione tertiae partis ejus pecuniae, de qua lis erat. Hotomannus ad Ciceron. *l. d.* hanc putat fuiſſe differentiam, quod in *ſacramentis* pecunia in aerario deponebatur, & ejus, qui cauſſa cadebat, referebatur in aerarium. At in *ſponſionibus* non deponebatur, ſed tantummodo interpoſita ſtipulatione promittebatur. Omittit Hotomannus, quod tertia illa pars proficeret reo, ut Menardus ad *Ciceronem pro Roſc. Comoed. Cap.* v. obſervavit, ac praeterea, quod *ſacramento* contendant actor & reus: de *tertia* ſolus actor repromittat. Sponſio enim illa tertiae partis fiebat, ſi reus putaret litem per calumniam ab actore moveri. Poſtea introducta eſt ſponſio litis *decimae. l.* 3. *C. Hermog. de Calumn. & plus petit.* Quae & apud Athenienſes obtinuit. Suidas in voce παρακαταβολὴ. Vide plura apud Cl. Ottonem ad §. 1. *inſt. de poen. temer. litig.*

C A-

Digitized by Google

CAPUT VIII.

INTERROGATIONES AN HABVERINT LOCUM IN ACTIONIBVS REALIBVS.

Quaeſtio celebris hic tractanda venit, quam video inter Doctos agitatam, num ſcilicet Interrogationes in jure earumque formulae locum habuerint in actionibus realibus? Adfirmat Sigonius. *Lib. 1. de Judic. cap. 21.* Adfirmat id etiam Cl. Heineccius *Antiquit. Roman. Lib.* IV. *Tit.* 6. §. 25. ubi diſſeruit adverſus Branchu Obſervat. *Cap.* XXV. qui docuerat, non tamen, ſi dicere liceat, argumentis gravibus ac firmis, interrogationes in Jure non fuiſſe uſitatas in actionibus realibus. Sed ſi interrogas Calliſtratum; reſpondebit ille in *l. 1. ff. h. t. Eſt interrogatio tunc neceſſaria, quum in perſonam ſit actio, & ita ſi certum petatur.* Res eſt obſcura. Dicam, quidquid ex tenebris elicere potui.

Si incertae eſſent vindiciae, rei vindicatio inſtitui non poterat: civilis enim & naturalis ratio poſcebat, ut alius poſſideret, alius a poſſidente retineret. Sequar notam Aſconii notiſſimam ad Ciceronem *Lib.* I. *in Verrem Cap.* 45. *Lis vindiciarum eſt, cum litigatur de ea re apud Praetorem, cujus incertum eſt, quis debeat eſſe poſſeſſor: & ideo qui eam tenet, ſatisdat pro prae-*

praede litis vindiciarum adverſario, qua illi ſatisfaciat, nihil ſe deterius in poſſeſſione facturum, de qua Jurgium eſt. Triplici modo fuerunt olim vindiciae dictae; vel ex Lege XII. Tabb., quum Prætor cum litigantibus in rem praeſentem iret, ibique vindicias diceret; vel contra L. XII. Tab., quum ſcilicet Litigantes in fundum proficiſcerentur, atque ex eo glebam adportarent; quos modos deſcripſit Gellius *Lib.* XX. *Noct. Attic. Cap.* 9. Poſtea excogitarunt Prudentes novam vindiciarum dicendarum formulam, ut ex Cicerone docent Jacobus Gothofredus ad Leg. XII. Tab. *in not. Tab.* V. & Heineccius, Sigonius. *ll. dd.* FUNDUS, QUI EST IN AGRO, QVI SABINVS VOCATVR, EVM EGO EX JURE QVIRITIVM MEVM ESSE AJO. INDE IBI EGO TE EX JVRE MANV CONSERTVM VOCO. Si contra vindicaret adverſarius: UNDE TV ME EX JVRE MANV CONSERTUM VOCASTI, INDE EGO TIBI REVOCO. quid tum? Praetor utrique dicebat: SUPERSTITIBUS PRAESENTIBUS: ISTAM VIAM DICO. INITE VIAM. Viam inibant: Praetor iterum: REDITE VIAM: reverſis illis Praetor dicebat vindicias. Ne carpas, velim, forte & alias fuiſſe formulas, quas non produxi; ſiquidem illas,

las, ut novi quidquam non protulerim; ſed ut brevi Judicii ordinem, quomodo ab initio ad ſententiam usque ſoliti fuerint veteres procedere in realibus actionibus, oſtenderem. Sic enim facile concedere poſſem, aliquando fuiſſe poſt vindicationem interrogatum, an contra vindicaret? uti & de in Jure ceſſione exemplum eſt apud Boethium *Lib.* III. *Commentarior. in Topic. Cicer.* quod habet Cl. Schultingius ad *Cajum Lib.* II. *Inſtit. tit.* I. poſt §. 6. *In Jure autem ceſſio fit hoc modo; Apud magiſtratum populi Romani, vel apud Praetorem vel apud Praeſidem provinciae is, cui res in jure ceditur, rem tenens ita vindicat: Hunc ego hominem ex jure Quiritium meum eſſe ajo. Deinde poſtquam hic vindicaverit, Praetor interrogabat eum, qui cedit, an contra vindicet: &c.* Haec tamen interrogatio non fiebat ad eum effectum hic in realibus, quam quidem in perſonalibus: nam ſtatim patefiet, interrogationes in jure, quae obtinuere in actionibus perſonalibus, in realibus nullum habuiſſe uſum.

Dictis autem Vindiciis nulla eſt haeſitatio, quin ex illis conſtet de poſſeſſore, antequam ipſa rei vindicatio inſtituatur. Nunc quaeritur, an formula, QVANDOQVIDEM TE IN JVRE CONSPICIO, POSTVLO ANNE FIAS AVCTOR, petitor, poſſeſſorem interrogaverit? Vellem mehercule,

le, ut Docti iſtius interrogationis utilitatem atque uſum aliquo oſtendiſſent colore. Interrogatio habet ſuum uſum in perſonalibus, ſi incerta eſſet qualitas ejus, adverſus quem agendum erat. Sed quinam in realibus? poſſeſſor enim erat conſtitutus. Quis ergo conveniendus & contra quem rei vindicatio eſt inſtituenda? contra poſſeſſorem, numquid? ſi annuas, ad quid tum interrogatio, ANNE FIAT AVCTOR? eleganter Scholiaſtes Graecus ad *Baſilica Lib.* XLII. *Titul.* 4. *Lit.* 4. *Eſt autem interrogatio tunc neceſſaria, quum perſonalem actionem intendere volo & certum petere: nam ſi in rem actio ſit, qui adverſus poſſeſſorem agit, EJUS MENTIONEM FACIT: & cum incerta eſt actio, INCERTAE QUANTITATIS mentione facta, non eſt neceſſe ſcire, qua ex parte heres ſit*

Cl. Dukerus in *Doctiſſimis ſuis notis* ad *Opuſcul. de Latinit. Veter. ICtor pag.* 277 *&* 278. Raevardus *Protribunal Cap.* v. Hotomannus. *Libr.* VII. *Obſervat.* 5. explicarunt AVCTOREM per eum, a quo jus meum perſequi debeo: quamvis tamen & AUCTOR aliquando pro *domino* accipiatur, quod manifeſtum erit, ſi inſpicias loca quae Raevardus adduxit. Probo Doctorum ſententiam quod AVCTOR dicatur is, a quo, jus meum repetendum eſt. Quid? nonne nunc abſurdum, ne dicam, ſtolidum foret, interroga-

ga-

gare, ANNE FIERET AVCTOR? certum enim erat, petitorem adverſus poſſeſſorem non poſſe male agere rei vindicatione, propterea quod vindiciae dictae eſſent. Etenim interrogare nequeo, anne is ille ſit, a quo meum petere debeo, dum ſcio, eum eſſe poſſeſſorem, ac non niſi contra poſſidentem dari rei vindicationem. *l.* 9. *ff. de rei vind.* Propius accedo. Quid ſi per AVCTOREM, ut ſupra dixi, intelligas dominum, ac ſi interrogationis ſenſus foret, ut petitor hac ratione interrogaret, an *dominus* ſit & pro qua parte: nam petitor dixerat ex jure Quiritium ſuum eſſe fundum; & contra Poſſeſſor & ſuum eſſe. Nec illud procedit, quia poſſeſſor non cogitur dicere, an dominus ſit & pro qua parte. *l.* 73. *ff. de rei vind.* Interrogato enim quo titulo poſſideat, ſufficit dicere, quia poſſideo. *l.* 11. *ff. de hered. petit.* adeoque vindiciae idem valent in *realibus*, quod interrogationes in *perſonalibus*, quum omnes praeparatoriae ſint, antequam principali Judicio agatur. Ad eundem quoque finem ſunt inventae interrogationes in jure, ut quis ſciret, an alter heres ſit & pro qua parte; vindiciae, ut de poſſeſſore conſtaret. Quod ſi verum eſt, neceſſarium non erat, ut rurſus interrogaretur ANNE FIERET AVCTOR? quum bis eodem tendentia hic fierent: quod, pace tua, ridiculum foret.

Id

Id clarius erit, ſi rationem habeas verborum Aſconii: *Qui poſſeſſionem tenet, ſatisdat pro praede litis vindiciarum adverſario ſuo, quo illi ſatisfaciat, nihil ſe deterius in poſſeſſione facturum, de qua Jurgium eſt. Praedes dicuntur ſatisdatores locupletes pro re, de qua apud Judicem lis eſt; ne interea, qui tenet, diffidens cauſae, poſſeſſionem deteriorem faciat, tecta diſſipet, excidat arbores, & culta deſerat.* Praetor dixerat vindicias; praedes a poſſeſſore dabantur, quibus petitori ſatisfacit, in poſſeſſione ſe nihil deterius facturum. Nunc iterum rogo, quid juvaret interrogari ANNE FIERET AVCTOR? ſi enim poſſeſſor in poſſeſſione aliquid deterius feciſſet, poterant conveniri praedes. Quidquid eſt. Petitor aliter agere nequit, niſi adverſus poſſeſſorem: praecipue, ſi conſtet, nihil in poſſeſſione deterius eſſe factum, quo in caſu inutile eſt interrogari, an poſſeſſor fieret AVCTOR.

Caeterum an formula provocationis, QVANDOQVIDEM NEGAS, SACRAMENTO QUINGENARIO TE PROVOCO. in realibus actionibus obtinuit? vellem cum Doctis ita ſentire; ſed fas non eſt, ſalva rationis reverentia. Formula illa utebantur veteres, puta, ſi quis negaret ſe heredem; poſſeſſor vero negare non poterat, ſe poſſidere. Dixerat enim vin-

vindicias, ſatisfeceratque poſſeſſor adverſario, ſe nihil deterius in poſſeſſione facturum: ſed ſi tamen poſſeſſor negaret, ſe poſſidere, in poſſeſſionem mittebatur. *l.7. §.17. ff. quib. ex cauſ. in poſſ. eatur.* Hoc amplius. Quid facient verba TE SACRAMENTO QVINGENARIO PROVOCO? nam poſt provocationem ab actore addebatur, SPONDESNE TE DATVRVM QVINGENTOS, SI AVCTOR SIS? reſpondebat provocatus: SPONDEO, SI AVCTOR SIEM. Fiebat reſtipulatio: TV VERO SPONDESNE IDEM, NI SIM? ad quod ille: EGO QVOQVE SPONDEO. Perridiculum eſt a parte poſſeſſoris ſpondere, ſi AVCTOR ſit, & ſi AUCTOR non ſit, dare quingentos. Damnum haud ullum petitori unquam erat, ut amitteret ſuum ſacramentum, ſed omnino ſemper poſſeſſoris victi ad aerarium redire, ratio poſtulat. Nec ſanae mentis is dici poteſt, qui ſciens ſe in poſſeſſione eſſe, ita reſtipularetur, TV VERO SPONDESNE IDEM, NI SIM? Hac enim reſtipulatione negaret ſe poſſeſſorem, & petitor in poſſeſſionem mitteretur. Quae ergo hic ſponſio? quae reſtipulatio?

Sed quid dicemus de ſacramento? an ejus uſus fuit aliquis in vindiciis? nullus, quod ſciam. Habuit locum in actionibus realibus, ſed in ipſa rei vindicatione: Aliud erat in perſo-

nalibus, quippe ſi reſpondere nollet ſe heredem, propter metum plus petitionis actor ſacramento quaerebat. Nam haec ratio eſt, quur ſponſio fieret in actionibus perſonalibus & ita ſi certum petatur praeparatorie ante principalis actionis ventilationem, ut nempe actor fieret certior de qualitate ejus, quem convenire vellet; quod ſecus eſt in realibus: poſſeſſor erat conſtitutus, nec metus ſupererat plus petitionis, ut multis demonſtravit Cujacius ad *Pauli Libr.* XI. *Quaeſt.* in *l.* 20. §. 1. *&* 2. *ff. h. t.*

Probabo, *ſacramentum* in rei vindicatione, non vero in vindiciis, habuiſſe uſum. Valerius Maximus *Libr.* VIII. *Cap.* 7. *Exemp.* 2. *Caeterum*, inquit, *quamvis utraque hoc adverſus eum nitebantur, tamen paterna bona obtinuit:* bonorum nempe poſſeſſionem ex Edicto Praetoris. *Nam L. quidem Sextilius & P. Popilius, quos M. Annejus ſanguine ſibi conjunctos, eadem ex parte, qua Tullianum, heredes fecerat, ſacramento cum adoleſcentulo contendere auſi non ſunt.* Poſt ergo obtentam poſſeſſionem L. Sextilius & P. Popilius auſi non fuerunt *ſacramento contendere;* quae docte CL. Schultingius in *ſpeciali diſſertatione* ad *d. l.* exponit, quod ſponſione litigator unus alterum ſoleret provocare, ni vera foret ipſius intentio, id eſt, in hereditatis petitione. Cum his conveniunt verba Aſconii, quae ſequuntur, poſtquam

quam de vindiciis locutus erat, pergens ad ipſam actionem *rurſus*, inquit, *ſponſione provocatur certae pecuniae aut aeſtimationis: quam amittat, ni ſua ſit hereditas de qua contendit.* Sponſione ſacramenti adeoque non contenditur de poſſeſſione hereditatis, ſed de ipſa hereditate. Addam aliud ex Cicerone in *Orat. pro Milon. Cap.* XXVII. *qui non calumnia litium, injuſtis vindiciis ac ſacramentis alienos fundos, ſed caſtris, exercitu, ſignis inferendis petebas.* Agit Tullius de Clodio, cui nihil unquam nefas fuit, nec in facinore, nec in libidine; cui nulla erat lex, nullum jus civile, nulli poſſeſſionum termini; qui non calumnia litium, non *injuſtis vindiciis* fundos alienos petebat, id eſt, qui non obſervabat ordinem judiciorum, ac ſine ulla juris ac juſtitiae ſimulatione, ut prius dicerentur vindiciae. Quantum vis injuſtae! quippe qui Praetorem cogere poſſet, vindicias ſibi dicere: ita palam in alienos fundos involabat, ut illos non *ſacramento juſto*, id eſt, actione legitima inſtituta, ſed caſtris, ſed exercitu, ſed ſignis inferendis peteret. Sic etiam recte Abramus ad Locum Ciceronis Feſti verba adverſus Turnebum & Scaligerum diſtinguit: *Nemo hic vindicias, neque ſacramenta veretur.*

Poſt conſtitutum poſſeſſorium ſequebatur actio. AJO HUNC FUNDUM MEUM ESSE EX JVRE QVIRITVM: cui poſſeſ-

ſor, ET EGO MEVM, NON TVVM ESSE AJO EX EODEM JVRE QVIRITIVM. Tum petitor: SPONDESNE QVINGENTOS, SI MEVS HIC FVNDVS SIT? poſſeſſor: SPONDEO QVINGENTOS, SI TVVS HIC FVNDVS SIT. Inde reſtipulans: ET TV SPONDES NE TOTIDEM, NI TVVS HIC FVNDVS SIT? petitor: SPONDEO, NI MEVS HIC FVNDVS SIT. Ita Sigonius, quem hic ſecutus fui. Poſt inſtitutam actionem petitor cauſſam vel titulum dominii ſui exponebat; ut bene Heineccius *l. d.* Sed quod addit in fine §. 25. & in §. 26. Antequam id fieret, petitorem ſolitum fuiſſe, poſtulare a poſſeſſore, ſe nihil in poſſeſſione deterius facturum; quod, ni faceret, litem amitteret, id fateor, mihi non conſtare. Sed ita diſtinguendum puto; ſi vindiciae a Praetore dictae eſſent, poſſeſſor ſatisdabat *pro praede*, hoc eſt *per praedes*, (ut recte Menardus ad d. l. Ciceron. *Libr.* 1. *in Verrem. Cap.* 45.) adverſario, ſe nihil in poſſeſſione deterius facturum, *de qua jurgium eſt:* id eſt, de qua quaeritur hereditatis petitione. Nam certe ſupervacaneum foret, ut iterum poſt inſtitutam actionem, poſſeſſor ſatisdaret, quum id jam ante in ipſis vindiciis factum erat: ut probatur ex verbis Aſconii ab Heineccio adlatis. Si vero petitor vindiciarum, cui dicerem-

rentur, quaeſtionem movere nollet, tum enim poſſeſſor tenebatur ſatisdare; quod ni faceret, in petitorem transferebatur hereditas. *l.* 9. *ff. de rei vind.* Paulus *Libr.* 1. *Receptar. Sentent. Tit.* 11. §. 1. Eoque ſpectat Valerius Maximus *Libr.* VII. *Cap.* 8. *Ex.* 2. & d. locus Ciceronis *Lib.* 1. *in Verrem Cap.* 45. quem omnino perperam Hotomannus *Libr.* 1. *Obſervat. Cap.* 6. emendavit. Videatur quoque Raevardus ad *Leg.* XII. *Tabb. Cap.* VI.

Sed ſi placet, revertamur in viam. Sponſio, quae fit in ipſa rei vindicatione, eſt eadem, quae fit praeparatorie in actionibus perſonalibus; idque etiam vocatur *ſacramentum:* niſi quod putem, ſacramentum in perſonalibus eſſe quinquaginta aſſium, in realibus quingentorum, cujus tamen provocatio in actionibus in rem obtinere non potuit: quum exinde ſequeretur, duplicem ſponſionem ſacramenti fuiſſe factam; ſemel in conſtituendo poſſeſſorio, & ſemel in ipſa rei vindicationis inſtitutione, quod abſurdum eſt. His accedit, quod major illis foret poena, qui in rem agunt, quam qui in perſonam. Nam quum victi ſacramentum ad aerarium redeat dictis vindiciis, idem quoque obtineret poſt inſtitutam actionem. In perſonalibus autem actionibus ſemel tantum fit ſacramenti ſponſio: neque id ſemper. Qui dixit ſe heredem, non provocabatur ſacramento, ut rurſus ſe

dicat heredem, ſed inſtituta actione propter ejus reſponſionem convenitur: in cujus inſtitutione, nunquam Legi, ſacramentum interveniſſe.

Haec tam late hic tractare volui, quoniam D. Noordkerk *Diſquiſit. de Lege Petronia Cap.* 11. §. 9. putavit in cauſſis, in quibus partis intererat, ut vindiciae decernerentur vel minus, priusquam litem aggrederentur, agitatum fuiſſe, ſacramentum an juſtum foret, quodque exinde pependerit, utrum cauſſam in judicium deduci permitteret judex, an vetarat. Teſtem, ut ait, omni exceptione majorem habet Ciceronem *pro Caecina Cap.* XXXIII. *Cum Aretinae mulieris libertatem defenderem, & Cotta Decemviris religionem injeciſſet, non poſſe ſacramentum juſtum judicari, quod Aretinis ademta civitas eſſet, & ego contendiſſem civitatem adimi non potuiſſe; Decemviri prima actione non judicarunt; poſtea re quaeſita & deliberata ſacramentum noſtrum juſtum judicarunt.* Petitur mulier in ſervitutem. Hanc Cicero, inquit, in libertatem aſſerit, & provocat adverſarium ſacramento. Sacramento accepto debuiſſet judex vindicias ſecundum libertatem concedere. Et proinde ne accipiatur ſacramentum, Cotta Decemviris religionem injicit, quod Aretinis Sulla civitatem ademiſſet, *qua ademta retineri libertas non poteſt:* ſi ergo hoc ſpectaſſet ipſam libertatis cauſ-
ſam,

ſam, claudicaret ratiocinatio Tullii, probantis non potuiſſe Aretinis civitatem adimi.

Lubricum certe argumentum, quod ex una perficitur periodo, quando aliis Orationis apparet verbis, quaenam ipſius Tullii ſententia fuerit. Nondum mihi conſtat, ſacramentum locum habuiſſe in vindiciis libertatis aut poſſeſſionis, vel etiam ante eas, ſed ſemper ſacramenti ſponſio reſtipulatioque fuit facta in diſceptatione libertatis cauſſae vel rei vindicationis. Id quod dico de rei vindicatione ſupra probatum dedi & dabo in poſterum. De Libertate res eſt certa. Si enim juſtum judicatum ſit ſacramentum, pro libertate ipſa omnino eſt judicatum & pronunciatum, quod tam clare probat M. Tullius, ut ea de re vix dubium ſuperſit. Quaerebat ille, ſi populus juſſerit me tuum, aut item te meum ſervum eſſe, an id juſtum ratum atque firmum futurum eſſet? Id ſane concedendum erat, non, quidquid populus juſſerit, ratum eſſe oportere. Adſcriptio Legis Sullae ſatis id indicat: SI QVID JVS NON ESSET, EA LEGE NIHILVM ROGATVM. An ergo civitas adimi poteſt, quum libertas nullo poſſit modo? negat id Cicero: nam ſi civitas ſemel adimi poſſit, retineri libertas nequit. Quid? Cotta Decemviris *religionem*, vel, quod idem eſt, ſcrupulum ji-

jicit, non poſſe ſacramentum noſtrum *juſtum* judicari, quod Aretinis ademta eſſet civitas. Si mentem Ciceronis recta capiam, non ſunt haec argumenta pro ſacramento, ut eo accepto, judex vindicias concederet ſecundum libertatem. Cicero enim hoc exemplum tanquam rem judicatam adduxit, ut occurreret argumentationi Ebutii, qua contendebat, Caecinam uxoris ſuae non poſſe heredem eſſe, quod nempe Caecina eſſet ex Volaterranis, quibus etiam a Sulla ademta eſſet civitas. Si ergo hac judicatione Decemvirorum mulier Aretina non eſſet libera judicata, non procedebat argumentum ad Caecinam; quod, licet ex Volaterranis eſſet, nihilominus libertate gauderet, & per conſequens quod uxori heres eſſet. Sed recte argumentatur Cicero. Nam ſicuti Aretina mulier ſententia Decemvirorum pronuntiata fuit libera, ita quoque Volaterranus Caecina liber eſt, adeoque heres. Ratio olim pro Aretina muliere erat, quod omnibus, qui ex municipio ſunt, libertas ſit ſalva, ſed quod perperam Sulla eam Aretinis ademiſſet. Addit quidem D. Noordkerk, exinde non ſequi omnes omnino ex illo municipio libertate gaudere; Quid inde ſi concedam? Id ſaltem certum eſt, mulierem Aretinam ea gandere, olim fuiſſe Ciceronis ſententiam, & quae ſecundum eam poſtea, ut ita dicam, ſententia definitiva, Libera pronunci-

ciata fuit: ut ergo idem obtineat in Caecina, ratiocinatio Ciceronis eſt. Quid quid ſit. Non agitur de vindiciis, quae ſecundum libertatem decernuntur; ſed hic locus erat, ut quaeretur, an Sulla jure Aretinis potuerit adimere libertatem? Nam ſi in accipiendo ſacramento, adeo ut accepto eo vindiciae ſecundum libertatem dicerentur, quaeſitum fuiſſet, an Sulla potuiſſet Aretinis adimere civitatem, quae erit quaeſtio, ſi de ipſa libertate agatur? quae ratiocinatio? ſane nulla. Facta hic eſt ſponſio, facta eſt reſtipulatio, oravit Cicero cauſſam, Sullam Aretinis non potuiſſe adimere civitatem. Quid facient Decemviri? an mulierem ut liberam pronunciabunt contra legem Sullae, qua Aretinis civitatem ademerat? prima actione Decemviri non judicarunt. Poſtea re quaeſita & deliberata non eſſe in poteſtate populi, civitatem adimere, ergo nec Libertatem, ut ipſe dicit Cicero in *Oration pro Dom. Cap.* XXIX. *&* XXX. contradicente Cotta & Sulla vivo ſacramentum Ciceronis juſtum pronunciatum & judicatum eſt.

Ex his liquet, veram eſſe ſententiam Pithoei *Libr.* I. *Adverſarior. Cap.* 18. ſacramentum ex eventu judicii juſtum, injuſtumve dici. Nunquam ſacramentum uſum habuit in vindiciis libertatis vel poſſeſſionis, ſed ſemper in ipſa libertatis cauſſa vel judicio petitorio. Hinc videbis perpetuo, vindicias di-

ſtingui a *ſacramento*, quod agitata quaeſtione principali juſtum injuſtumve dicebatur. Eodem, quo D. Noordkerk nititur, loco Arnobii Libr. IV. *Adverſ. Gent. pag.* 138. id probo: *Quis quaeſitor, quis arbiter cervicibus tantis erit, qui inter perſonas hujusmodi aut vindicias juſtas dare, aut ſacramenta conetur pronunciare non juſta?* diſtinguitur *aut vindicias dare:* diſtinguitur *aut ſacramenta pronunciare non juſta.* Praeterea *juſtum* & *injuſtum* dependet ab exitu judicii. Non erat in poteſtate quaeſitoris vel arbitri, vindicias dare juſtas, quia illis vindicias dare non licet; adeoque nec ſacramenta pronunciare non juſta, quum ea ad Paetorem pertineant. Vindicias itaque juſtas dare non ſignificat, acceptis vindiciis agendi concedere facultatem; neque ſacramenta pronunciare non juſta, quaſi haec duo eodem redirent, intentionibus nullo jure ſuffultis viam praecludere, & adverſarium a reſtipulandi neceſſitate abſolvere. Uno verbo, inquit ille, oblatum ſacramentum rejicere. Confundit vindicias cum ipſo judicio petitorio. Nam in vindiciis ſacramentum nunquam habuit locum; ſed, ut probavi, ſemper in rei-vindicatione. Si enim in vindiciis ac rurſus in rei vindicatione ſacramentum habuiſſet uſum, duplex fuiſſet interpoſitum ſacramentum; quod nullus unquam docuit. Vindicias juſtas dare non ſignificat concedere agendi-

di facultatem: nam petitor, licet vindiciae poſſeſſori ſint dictae, experiri nihilominus poteſt rei vindicatione, & ita rem ſuam perſequi. Neque etiam, quum ſacramentum judicetur non juſtum, via praecluditur, ac eo adverſarius a reſtipulandi neceſſitate abſolvitur. Res enim in dubium non vocatur, unquam ſacramenti ſponſionem fuiſſe interpoſitam, niſi quod ad eam & ejus reſtipulatio fuerit ſecuta. Qui ergo fieri potuit adverſarium a reſtipulandi neceſſitate abſolutum fuiſſe? Nam dicendum foret, hoc caſu petitorem & poſſeſſorem, quemque ſuum obtuliſſe ſacramentum, ut judicaretur, cujusnam juſtum, cujuſnam injuſtum foret: dicas, peto, quomodo adverſarius tunc a reſtipulandi neceſſitate abſolvi potuerit? vel an id potius: quod ſacramentum illius, qui prius illud obtulerat, a Praetore, apud quem haec fiebant, judicatum ſit juſtum vel minus, adeo ut hoc modo adverſarius a reſtipulandi neceſſitate abſolveretur? ſunt haec obſcura, quae ordini judiciorum non conveniunt. Sponſio ſacramenti fiebat apud Praetorem, non vero apud judices pedaneos: quum ex hac ſententia ſequeretur, quod in judicando, ſacramentum juſtum eſſet an injuſtum, ſimul judicatum fuerit, ad quem res illa, de qua quaerebatur, pertineret; quae tamen Praetoris non ſunt, ſed judicum pedaneorum. Nam vindiciis dictis ipſa ſequebatur

tur actio, in cujus inſtitutione ſponſio reſtipulatioque ſacramenti interponebatur, quae nunquam ab una parte fuit rejecta, altera vero admiſſa: quoniam caeteroquin ſacramentum ejus, qui litem amiſerat, ad aerarium redigi non potuit; quod tamen ſemper fuiſſe factum, Feſtus & Varro docuerunt: ac dein lite conteſtata judex eligebatur, apud quem petitor cauſſam ſive titulum dominii exponebat, oſtendebatque rem, quam petebat, ex jure Quiritium ſuam eſſe; & ſic altera audita parte judex ſecundum formulam ei a Praetore datam judicabat. Vindiciae ergo dicuntur *juſtae*, puta a parte poſſeſſoris, cui dictae ſunt, quae tamen a parte petitoris, cui non ſunt dictae *injuſtae* vocari poſſunt. Denique ſacramentum ejus, qui vicerat judicio principali, ex eventu judicii dicebatur *juſtum;* ejus vero, qui litem amiſerat, *injuſtum.* Addam alium Ciceronis locum *Libr.* 1. *de Orator. Cap.* 10. *aut te ex jure manum conſertum vocarent, quod in alienas poſſeſſiones tam temere irruiſſes. Agerent enim tecum lege primum Pythagoraei omnes atque Democritici ceterique in ſuo genere Phyſici, vindicarentque ornati homines in dicendo & graves, quibus tibi juſto ſacramento contendere non liceret.* Aliud eſt *ex jure manum conſertum vocare*, aliud *vindicare* & adverſus vindicantem *juſto contendere ſacramento.* Abramus ad Ciceron. in

Orat.

Orat. pro Milone Cap. XXVII. *juſtum* explicat legitimum numerum aſſium. Hic locus ſatis clarus eſt, ſi modo obſerves, Ciceronem figurate locutum fuiſſe.

Nimis aberravimus. Notum eſt, verba ſunt CL. Heineccii, quod olim is non haberetur pro poſſeſſore, qui dolo deſierat poſſidere, propter quod Praetor Edictum de *alienatione judicii mutandi cauſſa* edidit. Jus illud, de quo eſt *l.* 131. *ff. de Reg. jur.* non eſt, ut Vir CL. putat, ex jure Antiquo, ſed ex Edicto, adeoque a temporibus Hadriani, qui ſingulari SCto ſanciri juſſit, *ut qui fecerint, quo minus poſſiderent, perinde condemnarentur, quaſi poſſiderent. l.* 20. §. 6. *ff. de hered. petit.* Quum ergo vererentur petitores; ne poſſeſſores res litigioſas alienarent, poſteaque cum alio potentiore ſibi eſſet negotium, merito interrogabant, AN REVS SIT AVCTOR? id eſt, an jam poſſideat, & in poſterum, ſi lis ſecundum actorem daretur, rem praeſtaret? Si negaret, ſequebatur ſacramenti ſponſio, ſi AVCTOR eſſet, id eſt, ſi poſſideret. Hae ſunt rationes, quur Heineccius adverſus Branchu *Obſerv.* XV. putaverit interogationes ſuum habuiſſe uſum in actionibus realibus.

Facile adſentiri poſſum, olim non habitum fuiſſe pro poſſeſſore, qui dolo deſierat poſſidere. Sed quod dicit, jus illud in *l.* 131. *ff.*

ff. de R. J. ex Edicto eſſe de *alienatione judicii mutandi cauſſa*, mihi non adparet. Eſt ex Edicto: verum ex Edicto de *noxalibus actionibus;* de quibus Paulus Libr. XXII. ad Edictum egerat. Dominus enim, qui ſervum noxium dolo malo deſierat poſſidere, ne ſcilicet ſecum ageretur, tenetur actione noxali, quum dolus pro poſſeſſione ſit. *l.* 12. *l.* 24. *l.* 26. *ff. de noxal. action.* Videantur Cujacius ad *d. Pauli Librum ad Edictum.* & Jacobus Gothofredus ad *d. l.* 131. *ff. de R. J.*

Ut ut eſt. Poſſeſſor aliquando, qui dolo deſierat poſſidere, olim non habebatur pro poſſeſſore. Aliquando inquam, nam id ſemper verum non eſt. Quando ergo? quum nempe vindiciae non eſſent dictae. Si poſſeſſor, metuens ne lis vindiciarum ſibi moveretur, dolo alienaſſet, non habebatur pro poſſeſſore. Et hinc eſt, quod Praetor reſtitutionem in integrum ob alienationem judicii mutandi cauſſa edixerit: adeo ut poſt Edictum illud, ſi dolo deſiiſſet poſſidere, teneretur actione in factum, quanti interſit, alium adverſarium non habuiſſe *l.* 1. *ff. de alien. jud mut.* Nam illud Edictum tantummodo accipi debet de futuri judicii cauſſa, non ejus, quod jam ſit. *l.* 8. §. 1. *ff. eod.* Poſtea aliud jus ex SCto tempore Hadriani eſt introductum, de quo eſt *d. l.* 20. §. 6. *l.* 25. §. 2. *ff. de hered. petit.* Et haec eſt cauſſa, quod is,

qui

qui petitorio judicio uti vult, ne fuſtra experiatur, *requirere*, id eſt, explorare, Baſilica περιεργάζεσθαι, debeat, per ſe ſcillicet, an ille, cum quo aget, rem poſſideat. Sic in *l.* 9. *ff. de rei vind.* officium judicis in actione hoc erit; ut judex *inſpiciat*, an reus poſſideat, non autem per interrogationem in jure, ſed ut pro ſua prudentia per ſe exploret, an poſſeſſor poſſideat. Videſis Cujacium ad *Pauli Librum* 11. *Quaeſtion.* in *l.* 20. §. 1. *&* 2. *ff. h. t.* Qui igitur agit actione in rem *requirere*, inquam, debet; non tantum, num is, adverſus quem aget, *poſſeſſor ſit*, ſed etiam *an dolo deſierit poſſidere. l.* 36. *ff. de rei vind.* Quod itaque olim obtinuit, eum non haberi pro poſſeſſore, qui dolo deſierat poſſidere, illud tenendum eſt, antequam lis eſſet de poſſeſſione: nam alioquin fuſtra requireretur, an dolo deſierit poſſidere.

Dictis vero vindiciis praedes dabantur pro re, de qua lis erat, apud judicem, ne interea poſſeſſionem deteriorem faciat. Poſſeſſor quoque ante litem conteſtatem ſatisdare tenebatur, judicatum ſolvi. *princ. Inſt. de ſatisdat.* Quid ergo? an nunc poſſeſſor olim poterat dici non eſſe poſſeſſorem, ſi deſiiſſet dolo poſſidere? quid facient praedes? quid judicatum ſolvi?

Idem eſt, ſi nulla eſſet de poſſeſſione quaeſtio. Sed quum ſacramento certarent, poſſeſ-

ſor

ſor interim erat in poſſeſſione, ita tamen ut ſatiſdare deberet poſſeſſor, ſe nihil in poſſeſſione deterius eſſe facturum; ac praeterea ſatiſdaret judicatum ſolvi. Paulus *Libr.* I. *Receptar. Sentent. Tit.* XI. §. I. Cicero *pro Quintio Cap.* VIII. quo caſu licet poſſeſſor dolo deſiiſſet poſſidere, ſemper damnabatur, quaſi poſſideret. Quid? an neceſſe erat, ut ante litem conteſtatam, quum vindiciae dictae eſſent, vel, quod idem eſt, quum in poſſeſſione eſſet, petitor interrogaret, an poſſeſſor AVCTOR ſit? minime. Nullus ejus, quantum video, excogitari poteſt uſus, qui in actionibus perſonalibus erat maximus. Quapropter Cicero in *Oration. pro Caecina Cap.* XIX. actionem interrogatoriam vocat *actionem in auctorem praeſentem:* quoniam haec actio oritur ex interrogatione & ad eam reſponſione; ac proinde perſonalis eſt, quae datur in ipſum auctorem & reſponſorem. Verum ſi ſermo eſt de actionibus realibus, dicitur *ire in rem praeſentem;* quod a Cicerone, Gellio, Briſſonio voce *praeſens*, aliiſque ita perſpicue docetur, & dupondiis notum eſt, ut admoneri ſatis ſit, probari nihil ſit neceſſe. Lis eſt conteſtata, oravi cauſſam, decernite, Judices, quibus jus ſuffragii eſt.

CAPUT IX.

ADVERSUS EUM EX SUA RESPONSIONE ACTIONEM DABO.

In Rubrica haec actio vocatur *actio interrogatoria;* quamquam Graeci eam omiſerunt, & ſimpliciter habent περὶ ἐπερωτήσεως ἐν δικαστηρίῳ γινομένης, καὶ ἀντεπερωτήσεως πραχθείσης. Ejus tamen meminit Scaevola in *l.* 22. *ff. h. t.* quae ab Ulpiano in *l.* 23. §. *fin. ff. ad Leg. Aquil.* appellatur *actio confeſſoria.* Suavis eſt Cicero in *Oration. pro Caecina Cap.* XIX. *Actio*, inquit, *eſt in auctorem praeſentem; his verbis, QVANDOQVIDEM TE IN JVRE CONSPICIO. Hac actione Appius ille CAECVS uti non poſſet, ſi tam vere homines verba conſectarentur, ut rem, cujus cauſſa verba ſunt, non conſiderarent.* Luſus eſt in verbo *conſpicio.* Luſus eſt in voce *Caecus.* Nam Appius reverâ caecus erat. Male habuerunt Doctos verba, *ſi tam vere homines verba conſectarentur.* Quidam *vere* exponunt *juſte.* Graevius legit *ſevere:* quum tamen ſine ulla emendatione facile intelligantur. *Si tam vere homines verba conſectarentur*, id eſt, ſi ſonum verborum extrinſecus, non vero eorum ſenſum ac rationem inſpicerent; Appius ille Cae-

cus hac actione uti non poſſet: adeoque ſi tam vere rem, cujus cauſſa verba ſunt, conſiderarent, uti poterat formula interrogatoriâ. quod Celſus de interpretatione loquens in *l.* 17. *ff. de legib.* vertit, *ſcire leges non eſt, VERBA EARVM TENERE, ſed VIM ac POTESTATEM.* Clarius locutus erat alibi Tullius *Libr.* 1. *de invent. Rhetor. Cap.* 38. *Omnes leges, judices, ad commodum reip. referre oportet, & eas ex utilitate communi, non ex ſcriptione, quae in literis eſt, interpretari.* Sed momi memor ſum, ne ſutor ultra crepidam. Redeamus ad jus noſtrum.

Ex reſponſione datur actio interrogatoria: adeo ut, ſi in caſibus, quos enumeravi *Cap.* VIII. reſponſum ſit, interrogatus dicta actione teneatur. Illud quaeritur; *Procuratore, Caeſaris ob debitum fiſcale interrogante, unus ex filiis, qui nec bonorum poſſeſſionem acceperat, nec heres erat, reſpondit ſe heredem eſſe; an quaſi interrogatoria, creditoribus caeteris teneatur? Reſpondit, ab his, qui in jure non interrogaſſent, ex reſponſo ſuo conveniri non poſſe. l.* 22. *ff. h. t.* Agit Scaevola de filio, qui nec bonorum poſſeſſionem acceperat, nec Jure Civili heres erat, puta, quod filius emancipatus praeteritus eſſet, ſi reſponderit ad interrogatum Procuratoris Caeſaris; quaſi interrogatoria, id eſt, utili actione non tenetur caeteris creditoribus, qui non interrogave-

gaverant : quoniam emancipatus praeteritus ipſo jure non eſt heres : nam Jure Civili extraneus eſt. Secus eſt in filio, qui ſe ſe abſtinuit hereditate paterna : nam is, ſi reſponſponderit, tenetur caeteribus creditoribus : quia ita reſpondendo *pro herede geſſiſſe videtur. l. 12. ff. h. t.* filius enim, licet ſe abſtineat, manet nihilominus heres. *l.* 88. *ff. de hered. Inſt.* Nam Praetor quidem non habet eum heredis loco; non tamen, ſi ſua reſponſione ſe dicat heredem. *l.* 57. *ff. de adquir. hered.* Quo in caſu omnino quaſi interrogatoria tenetur & aliis creditoribus. Quod hic addere volui, quia Antonius Faber in *Rational.* ad *d. l.* 22. & *Error. Pragmat. Decad.* 11. *Error.* 10. putavit, filium actione hereditaria, non autem interrogatoria teneri aliis creditoribus. Res eſt veriſſima, ſi filius ſe immiſcuerit, dum hereditas adhuc eſt integra, neque ex ea ulla ſunt vendita bona: tum enim convenitur actione hereditaria. Sed quid ſi res quaedam venditae ſint, ita ut ei amplius nullus ſit aditus. *l.* 6. *C. de repud. vel abſtin. hered.* & filius reſpondit ſe heredem, an non tenetur quaſi interrogatoria & aliis creditoribus, qui non interrogarunt? Reſpondeo ſecundum ea, quae proponuntur.

Quamvis ex Edicto de Interrogationibus quisque ex ſua in judicio reſponſione teneatur, pauci tamen ſunt caſus, in quibus, ſi

juſtus ſit error, nonnunquam alicui ſuccurritur. Ita ſi quis putet, ſe heredem eſſe ex minori parte, & neſciat partem ſibi adcreviſſe per mortem aut repudiationem coheredis, an dicemus eum teneri ex ſua reſponſione? Hoc negandum eſt, quum venia ſit dignus. Si vero ex incerta parte inſtitutus heres reſponderit ſe heredem, certum eſt, eum conveniri debere actione interrogatoria. Aliter obtinet, ſi coheredes ex partibus ſunt inſtituti; & Titius, ut ait Accurſius, ex reliquo, tum enim reſponſum ei non nocet, quoniam hic eſt juſtus error: nam putabat Titius, ſe cum ſuis coheredibus ex aequis partibus fuiſſe inſtitutum. Textus eſt expreſſus in *l.* 11. §. 8. *ff. h. t. Ex cauſſa ſuccurri ei, qui interrogatus reſpondit, non dubitamus. Nam & ſi quis interrogatus, an patri heres ſit, reſponderit; mox prolato teſtamento, inventus ſit exheredatus, aequiſſimum eſt, ei ſuccurri. Et ita Celſus ſcribit.* In multis Editionibus habetur *probato teſtamento.* Sed rectius *prolato*, ut Baudoza & alii. Pergit JCtus: *Hic quidem & alia ratione, quod ea, quae poſtea emergunt, auxilio indigent. Quid enim ſi occultae tabulae, & remotae, poſtea prolatae ſunt? quur noceat ei, qui id reſponderit, quod in praeſentiarum videbatur? Idem dico, & ſi, qui heredem ſe reſponderit, mox falſum vel inofficioſum, vel irritum teſtamentum fuerit pronuncia-*

ciatum: non enim improbe reſpondit, ſed ſcriptura ductus. Ita legitur Florentiae. Baudoza pro *hic quidem* habet *id idem.* Et poſt verbum *ratione* addidit *contingit*. Senſus eſt rotundior, ſed ab omnibus Exemplaribus abeſt. Male omnino pro *in praeſentiarum* voluit *impraeſentiarum.* Quaedam etiam de lectione habet Leoninus *Libr.* 111. *Emendat. Cap.* 9. Sed ſunt minutiae. quum verba ſatis clara ſunt, nec opus eſt, in vulgo notis exſpatiari.

Porro. *Qui juſto errore ductus negaverit ſe heredem, venia dignus eſt. l.* 11. §. 10. *ff. h. t.* V. C. ſi teſtamento ſit exheredatus filius, quod poſtea eſt reſciſſum, ut bene Antonius Faber notat. *Sed & ſi quis ſine dolo malo, culpa tamen reſponderit*, nempe quod veritatem, quae facilis ſcitu erat, non inveſtigaverit, *dicendum* tamen *eſt abſolvi eum debere*, quia reſpondit ſine dolo malo. Multo aliter in eo, qui reſpondit *culpa dolo proxima.*

Hactenus de reſtitutione eorum, qui juſto errore ducti reſponderunt. Sed an licet reſponſi poenitere & confeſſionem ſuam revocare? *Celſus reſpondit, licere reſponſi poenitere, ſi nulla captio ex ejus poenitentia ſit actoris, quod veriſſimum mihi videtur: maxime ſi quis poſtea plenius inſtructus quid faciat, inſtrumentis, vel epiſtolis amicorum juris ſui edoctus. l.* 11. §. 12. *ff. h. t.* In Editione Baudozae & Norica *Celſus itaque ſcribit*; In po-

ſteriore quoque eſt *reſpondenti* pro *reſponſi*, ut & notavit Leoninus *d. Libr.* III. *Emend. Cap.* 9. Pro *poenitentia* perperam ſcripſit praeterea Haloander *praeſentia*, Vid. Auguſtinus *Libr.* III. *Emendat. Cap.* 6. & denique Haloander pro *juris ſui edoctus* habet *de jure ſuo edoctus:* quod eodem redit. Accurſius & cum eo Antonius Faber ad *d. l.* eam intelligit de eo, quem poſt litem conteſtatam reſponſi poenituit, & addit tum, ante litis conteſtationem ſemper permiſſam eſſe poenitentiam. Sed errat. Simulac enim quis reſponderit, ex ea reſponſione naſcitur actio interrogatoria. Etenim ſi ante litem conteſtatam poenitentia ſemper fuiſſet permiſſa, reus non pateretur ſe conveniri ex aſſe, dum tantum heres ſit ex parte. *l.* 11. §. 1. *&* 2. *ff. h. t.* Verum ex reſponſione ſive vera, ſive falſa quisque tenetur, nec confeſſionem ſuam revocare poteſt, niſi ſi juſto errore ſit ductus: nam tum aeque tam ante, quam poſt litem conteſtatam reſponſi poenitere licet.

Enimvero ubi non eſt cauſſa reſtitutionis nec poenitentiae, auctor ex eo, quod reſponderit, convenitur ſequenti actione. QVANDOQVIDEM AIS TE AVCTOREM ESSE, EX LVCII TITII HEREDITATE CENTVM AJO TE MIHI DARE OPORTERE. Vides, me non, ut Cl. Heineccium, Sigonium, Raevardum for-

formulam concipere QVANDO AIS NEQVE NEGAS &c. Pro QVANDO legendum eſt QVANDOQVIDEM quod ſupra jam obſervavi. Sed quid, quaeſo, in actionis inſtitutione faciunt verba NEQVE NEGAS? Haec ego omiſi. Qui ait ſe auctorem, eum non negare, veriſſimum eſt. Abundant ergo illa verba quoniam, ſi formula olim ita fuit concepta QVANDOQVIDEM AIS NEQVE NEGAS &c. etiam in ſuperioribus illam QVANDO AIT NEQVE NEGAT, SACRAMENTO QVAERITO, conceptam fuiſſe oportet. Uſi quidem fuere veteres QVANDOQVIDEM AIS NEQVE NEGAS &c. Sed alio in ſenſu, de quo mox.

Inſtituta actione reus aut excipiebat, aut actionem negabat, quo facto judices poſtulabantur a Praetore. PRAETOR, JVDICEM POSTVLO, VT DES IN DIEM TERTIVM SIVE PERENDINVM. Adhibebantur & quaedam aliae, quas hic non addam, praeſertim quum de his egregie ſcripſerint Heineccius *Antiquit. Roman. Inſtit. Libr.* IV. *Titul.* 6. §. 39. *& ſeqq.* Noodt de *jurisd. & Imper. Libr.* I. *Cap.* 15. Cujacius *Libr.* IX. *Obſervat.* 21. Lite eo, quo dixi, modo conteſtata, actor probabat, centum ex hereditate, quae auctori relicta erat, ſibi deberi. Formam probandi habes apud Gel-

 lium

lium *Libr.* XIV. *Noct. Attic. Cap.* 2. apud Ciceronem alioſque paſſim.

Tenentur actione interrogatoria non tantum qui vere, ſed & qui falſo reſponderunt, ſe heredes eſſe. *Si quis, cum heres non eſſet, interrogatus reſponderit, ex parte heredem eſſe, ſic convenietur, atque ſi ex parte heres eſſet. Fides enim contra ſe habetur. l.* 11. §. 1. *ff. h.t.* Idem eſt, *qui ex quadrante heres, vel cum omnino heres non eſſet, reſponderit ſe heredem, ex aſſe, in aſſem inſtituta actione convenietur. d. l.* 11. §. 2. *ff. h. t.* Verba *inſtituta actione* ſignificant, quum quis convenietur actione principali: ut, condictione indebiti interrogatoria. Nec ſolus ille, qui plus dicit, quam quod ex hereditate habet, verum etiam qui minus, ex hoc Edicto tenetur. *Si cum eſſet quis ex ſemiſſe heres, dixerit ſe ex quadrante, mendacii hanc poenam feret, quod in ſolidum convenitur. Non enim debuit mentiri, dum ſe minoris portionis adſeverat. l.* 11. §. 3. *ff. eod.* Non obſervat Ulpianus differentiam inter *mentiri* & *mendacium dicere*, ut olim ſolebat P. Nigidius apud A. Gellium *Lib.* XI. *Noct. Attic. Cap.* 11. JCti non adeo ſunt acuti, ut quidem Grammatici. Sed hi poſteriores ſaepe nimis ſunt. Heres ex quadrante, ſi dixerit ſe heredem ex aſſe, vel etiam ex parte, quum omnino heres non eſſet, pro ea, qua dixit, parte convenitur interrogatoria actione.

actione. Rationem non addo, quod ſatis eſt aperta, & colligi poteſt ex *d. l.* 11. §. 1. *ff. h. t.* Sed quae ratio; quod heres ex ſemiſſe, qui dixerat ſe ex quadrante, teneatur in ſolidum? ea non minus eſt aperta. Mentitur enim, ac eo alterum fallere conatur. Actor adverſus eum ex quadrante agit, & ad eam partem lis quoque eſt conteſtata: poſtea vero apparet, eum heredem eſſe ex ſemiſſe, & ſic judicium redditur eluſorium, quum actor illa, quam conceperat, formula uti nunc nequeat; ſiquidem formula ex quadrante eſt concepta, quae ex ſemiſſe eſſe debebat. Quae poena? mendacium dixit ac propterea ipſe fallitur: contemnit Praetorem & in ſolidum convenitur. Veritas enim rei alicujus interrogando ſaepe inveſtigatur. Si negaſſet heres ex ſemiſſe ſe heredem, poterat ſacramento cogi, ut reſponderet. Sed quia non negat & reſpondit ſe ex quadrante, non habet locum provocatio ſacramenti, atque ideo ex hoc Edicto in ſolidum convenitur.

Id conſtat, eum, qui per mendacium dixerit ſe ex aſſe heredem, quum ex parte ſit, in poenam mendacii in ſolidum conveniri. *l.* 11. §. 1. *&* 2. *ff. h. t.* Quid ſi tamen quis falſo negaſſet, ſe heredem? ille in ſolidum non convenitur. Quae ergo mendacii poena? Eam ex ſacramenti ſponſione puto eſſe eliciendam. Si quis adſeveraret ſe heredem eſſe,

quod utique verum erat, non tamen ex aſſe, ſed ex ſemiſſe, Praetor non intercedebat, ut actor ſacramento rei veritatem inveſtigaret; verum ſi id poſtea patefieret, in ſolidum conveniebatur. *l.* 11. §. 4. *ff. h. t.* Attamen eo negante, ſed falſo, ſe heredem, ſacramenti ſponſio interveniebat: adeo ut, ſi reus ab actore convictus eſſet, in poenam mendacii quinquaginta aſſium, quoram ſponſio erat facta, ad aerarium redigendam incideret.

Qui ex parte dimidia heres erat, cum abſentem heredem defendere vellet, ut ſatisdationis onus evitare poſſet, reſpondit, ſe ſolum heredem eſſe, & condemnatus eſt: quaerebat actor, cum ipſe ſolvendo non eſſet, an, reſciſſo ſuperiori judicio, in eum qui revera heres erat, actio dari deberet? Proculus reſpondit, reſciſſo judicio poſſe agi. l. 18. *ff. h. t.* Nolim per verba, *ut ſatisdationis onus evitare poſſet*, intelligas, quaſi vero in interrogationibus, quae praeparatoriae erant & adjectitiae qualitates actionis principalis, obtinuerit ſatisdatio judicatum ſolvi: haec enim accipienda ſunt, antequam judicio principali agitur, ceu liquet ex verbis *& condemnatus eſt.* Videatur *Capit.* VII. Ex parte heres coheredem defendere quaſi vult, atque, ut ſatisdationis onus evitet, dicit ſe ſolum heredem; quo caſu, ſi condemnatus ſit reſpondens ac ſolvat, coheres tenetur reſpondenti actione negotiorum geſto-

ſtorum: ſi vero ſolvendo non ſit, non liberatur eo ipſo coheres, licet heres ex parte dolo ſe dixerit heredem ex aſſe; ſed liberatur exceptione danda in factum, ſi adverſus eum ab eodem actore agatur: quoniam in poſterum convenietur a coherede actione negotiorum geſtorum vel mandati. *l. 20. ff. h. t.* Hinc reſcindi debet judicium, ut tantum ab actore non autem ab ejus herede conveniri poſſit; alioquin enim coheres bis idem ex eadem cauſſa praeſtaret ſolveretque: ſemel ab herede reſpondente, qui eum non palam defenderat, actione negotiorum geſtorum; ſemel ab actore: quod iniquum eſt. Conſule Antonium Fabrum in *Ration. ad d. l.*

Diſtinguendum tamen eſt. Nam quemadmodum quis falſo reſpondendo, ſi cum eo actum ſit, alterum liberat; ita contra ſaepe, ſi quis pro alio reſponderit, non liberatur. Haec invenies in *l. 20. ff. h. t. Qui ſervum alienum reſponderit ſuum eſſe, ſi noxali judicio conventus ſit, dominum liberatur. Aliter atque ſi quis confeſſus ſit ſe occidiſſe ſervum, quem alius occidit, vel ſi quis reſponderit ſe heredem: nam his caſibus non liberatur, qui fecit, vel qui heres eſt.* Vides tres caſus. In priori verus dominus noxali actione conveniri nequit; aliter atque in poſterioribus. Haec quidem inter ſe videntur contraria; ſed audi, & judica.

Nam

Nam in ſuperiore caſu ex perſona ſervi duo tenentur, ſicut in ſervo communi dicimus, ubi altero convento, alter quoque liberatur. Qui dixit ſe noxae dominum, tenetur actione noxali: non proprio nomine, neque ex ſua perſona, ſed ex perſona ſervi. Sic quoque in ſervo communi, altero convento, alter liberatur: quum duo domini ex eadem delicti cauſſa in ſolidum teneri non poſſint. Idem fere dixerat Paulus in *l.* 26. §. 1. 2. 3. *&* 4. *ff. de noxal. action.* Idem etiam in *l.* 8. *ff. h. t.* ubi reſpondens tenetur judicio noxali, quaſi dominus. An ſemper? Quid ſi actori poſtea in notitiam venerit, nondum inſtituta actione, alienum eſſe ſervum, an actor nihilominus cogitur adverſus falſo reſpondentem agere? nihil minus. Quid ergo? optio eſt ei, utrum agat contra falſo reſpondentem ex Edicto de Interrogationibus, an contra verum dominum. Et hoc indicant verba *d. l.* 8. *ſi cum eo actum ſit, qui reſpondit, dominus ea actione liberatur.* Adeoque ſi non ſit actum, dominus non liberatur. Illud verum eſt, quod Cujacius ad *Pauli Libr.* 11. *Quaeſt.* in *d. l.* 20. *ff. h. t.* & Antonius Faber in *Ration. l. d.* ajunt, ex verbis modo adductis conſtare, verum dominum tum liberari, ſi cum reſpondente ſit actum. Adde *l.* 13. §. 11. *l.* 14. *ff. eod.*

Pergit Paulus. *At is qui confitetur ſe occidiſſe*

diſſe vel vulneraſſe, ſuo nomine tenetur, nec debet impunitum eſſe delictum ejus, qui fecit, propter eum qui reſpondit. Qui ſervum occidit vel vulneravit, non tenetur ex perſona ſervi, ſed ſuo nomine & ex ſua perſona. Tenetur & alter, qui in jure mentitus eſt: propter mendacium enim non debet impunitum eſſe ejus delictum, qui vulneravit vel occidit: quum ex ſua obligatione teneatur actione interrogatoria. Heres tenetur ex ſua perſona; tenetur etiam reſpondens ex ſua per-ſona actione interrogatoria ex mendacio. Verbo dicam. Reſpondens in omnibus ſequitur eum, pro quo reſpondit, ac tenetur prout alius tenebatur: ſive ex ſua perſona, ſive ex perſona alterius. Verus occiſor vel vulnerator tenetur ex ſua perſona: reſpondens quoque. Verus heres ſuo nomine tenetur; nec aliter reſpondens. Si quis ſervum alienum dixerit ſuum, & conventus ſit noxali actione, dominum liberat: quia verus dominus, ſi alter non reſpondiſſet, teneretur ex perſona ſervi noxali actione.

Niſi quaſi defenſor ejus, qui admiſit, vel heredis litem ſubiit hoc genere. Tunc enim in factum exceptione data, ſummovendus eſt actor: quia ille negotiorum geſtorum, vel mandati actione recepturus eſt, quod praeſtitit. Idem eſt in eo, qui mandatu heredis, heredem ſe eſſe, reſpondit, vel eum alias defendere vellet. Si occi-

ciſor palam a defenſore defendatur, liberatur occiſor, nec indiget exceptione. *Hoc genere id eſt, hoc modo*, ut Accurſius & poſt eum Scipio Gentilis *Libr.* 1. *Parerg. Cap.* 15. Si ſit quaſi defenſor, qui eum non palam defendit, aliud obtinet. Sed quid ſi condemnatus defenſor ſolvendo non ſit? poteſt ſine metu exceptionis adverſus verum occiſorem & heredem agere: quia illi tenentur ex ſua perſona. Reſcinditur tamen prius judicium, ne alias a condemnato conveniretur actione negotiorum geſtorum, ac deinde iterum ab actore, ut ſupra dixi ad *l.* 18. *ff. h.t.* Brevis fui in expoſitione dictarum legum, propterea quod Cujacius & Faber eas optime explicaverint. Neceſſarium duxi ſenſum earum proferre, ne viderer quaedam omiſiſſe. Et hoc ſufficit.

Confeſſionibus falſis reſpondentes ita obligantur, ſi ejus nomine, de quo quis interrogatus ſit, cum aliquo ſit actio: quia quae cum alio actio eſſet eam in noſmet noſtra confeſſione conferemus. Neque tamen id ſemper in omnibus confeſſionibus locum ſibi vindicat: nam *falſae confeſſiones naturalibus convenire debent. l.* 13. *ff. h. t.* Perperam Florentinus Codex *deberent.* Bautloza melius *debent*: ut & Leoninus *Libr.* 111. *Emendat. Cap.* 9. Similiter Javolenus in *l.* 14. §. 1. *ff. eod. in totum autem confeſſiones ita ratae ſunt,*

ſi

ſi id quod in confeſſionem venit & jus & naturam recipere poteſt. Graeci ὅτι καὶ τῷ νόμῳ, καὶ τῇ φύσει συμβαίνουσι. *Quando & juri & naturae conſentaneae ſunt.* Puta, ſi reſponderim filium alienum meum eſſe, qui me major eſt natu, *non obliger. d. l.* 14. *ff. h. t.* In margine Libri Norici *obliger*. Vide Jauchium in *Meditat. Critic. de Negation. Cap.* IV. Auguſtinus *Libr.* 1. *Emendat. Cap.* 3. Legendum tamen eſt *non obliger*. Obligarer enim, ſi aetas ejus pateretur, ut meus poſſet eſſe filius.

Praeterea, qui reſpondit patremfam. ſuum eſſe ſervum, noxali judicio non tenetur: neque etiam ſi liber homo mihi ſerviat, agi mecum poteſt, & ſi actum fuerit, manebit actio integra adverſus eum, cujus ſervus deliquit. *d. l.* 13. §. 1. *ff. h. t.* Eadem fere eſt ratio *l.* 14. *ff. h. t.* ubi vulgata habet *transferre poteſt* & ut rectum pronunciat Jauchius *d. Libr. Cap.* XVIII. Sed bene habet Taurellius *transferre non poteſt.* Qui dixit alienum ſervum ſuum eſſe, & confert & transfert in ſe actionem veri domini: ſed *manente*, id eſt, pendente *judicio* noxali, ſi ſervus liber ſit judicatus, tranſlata quidem erat in reſpondentem obligatio; verum poſt hanc ſententiam libertatis, non ut tranſlata habetur, quaſi etiam reſpondens teneretur, licet ſervus liber ſit judicatus. Nam qui alioquin verborum ſenſus, ſi cum Vulgata legeris, *nec quidquam in-*

interrogatio in jure facta proderit? Si haec iſtius rei foret ratio, *quia ejus perſonae, cujus nomine quis cum alio actionem habet, obligationem transferre poteſt in eum, qui in jure ſuum eſſe confitetur.* Haec enim eſt ratio, quam ob rem falſo reſpondens teneretur, ſi ſervus liber non ſit judicatus; non autem, quod non teneatur ſi ſervus liber judicatus ſit. Contrarium ipſe oſtendit JCtus, *liberi autem hominis nomine, quia cum alio actio non eſt, ne per interrogationem quidem aut confeſſionem transferri poterit. Quo caſu eveniet, ut non recte hominis liberi nomine actum ſit cum eo, qui confeſſus eſt.* adde *l.* 42. *ff. de noxal. action.*

Convenitur reſpondens actione noxali, qui reſpondit ſervum hereditarium eſſe ſuum: nam hereditas loco domini habetur. *l.* 15. *ff. h.t.* Sed ſi ſervus mortuus ſit, non tenetur. *l.* 15. §. 1. *ff. eod.* quoniam dominus verus tenetur ex perſona ſervi, cujus obligatio propter confeſſionem falſam transfertur in reſpondentem, qui ad exemplum domini tenebatur nomine ſervi; ſed demta perſona, poena quoque ceſſat. Nec ab his abiit Ulpianus in *l.* 16. *ff. eod. Si ſervus ab hoſtibus captus ſit, de quo quis in jure interrogatus reſponderit in ſua poteſtate eſſe: quamvis jura poſtliminiorum poſſint efficere dubitare nos: attamen non puto locum eſſe noxali actioni.* Sic Pandectae Flo-

Florentinae. Haloander edidit, *Quamvis jure poſtliminium poſſit interim nos efficere dubitare.* Quod probat Auguſtinus *Libr.* I. *Emendat. Cap.* 2. ubi ait, Hervagium *non* pro *nos* edidiſſe. Sed ſi ita legas, nullus erit verborum ſenſus. In aliis legitur, *quamvis jura poſtliminii poſſit iterum nos efficere*, & omittitur verbum *dubitare.* Nec hoc placet, quia haec non conveniunt poſterioribus: *attamen non puto locum eſſe noxali actioni.* Recte *noxali actioni* non *actione*, ut Duarenus vult. Denique Accurſius inquit alias *efficere*, alias *reficere.* Multae ſunt emendationes, quae nihil ad rem faciunt, quum de ſenſu verborum conſtet. Nam propter jura poſtliminiorum quis dubitare poſſet, quid juris eſſet de ſervo ab hoſtibus capto, quem reſpondens dixerat ſuum: reſpondet ICtus, non habere locum actionem noxalem, quia in noſtra non eſt poteſtate.

His adde, quemvis ex falſa ſua confeſſione teneri, qui dixit ſervum alienum eſſe ſuum. Rectiſſime tamen placuit, eum demum teneri, qui ſuum habere potuit: *Caeterum ſi dominium quaerere non potuit, non teneri. l.* 16. §. 1. *ff. eod.* Exemplum profert Accurſius: ſi judaeus mancipium Chriſtianum ſuum eſſe reſpondit. Profert & illud Antonius Faber. *ad d. l.* Verum hoc exemplum referri non poteſt ad jura Digeſtorum. Melius Scholiaſtes ad Baſilica *Libr.* XLII. *Titul.* 4. illud quae-

rit in *l.* 2. *ff. de his qui ſunt ſui vel alieni jur.*

Si quis hominem vivum falſo confiteatur occidiſſe, & poſtea paratus ſit oſtendere, hominem vivum eſſe; Julianus ſcribit, ceſſare Aquiliam: quamvis confeſſus ſit ſe occidiſſe. Hoc enim ſolum remittere actori confeſſoriam actionem, ne neceſſe habeat docere, eum occidiſſe. Caeterum occiſum eſſe hominem a quocunque oportet. l. 23. *§. fin. ff. ad leg. Aquil.* Adeoque falſae confeſſiones naturae convenire debent. Sed quid ſignificant verba ultima, *Caeterum occiſum eſſe hominem a quocunque oportet?* Qui confeſſus eſt ſe ſervum occidiſſe, ſi poſtea oſtendat hominem vivum eſſe, non tenetur. Hominem enim a quocunque occiſum eſſe oportet, priuſquam adverſus reſpondentem Lege Aquilia agi poteſt, quoniam vivo homine nulla nata eſt actio; ſi nulla ſit actio, nec reſpondens tenetur. *l.* 13. *ff. h. t.* Actio confeſſoria actori tantum remittit, ne neceſſe habeat docere eum occidiſſe, dum reſpondens, ſi falſo reſponderit ſe occidiſſe, pro eo habeatur. Vide Cyrillum ad *h. l.* Vocatur autem ibidem hæc actio *confeſſoria*, quae proprie *interrogatoria* eſt. Sed dicitur *confeſſoria* quia oritur ex confeſſione: puta, quod dixerit eum eſſe heredem, ſuum eſſe ſervum &c. ex qua confeſſione oritur dicta actio *confeſſoria* ſive *interrogatoria*, & ſic differt ab Edicto de *confeſ-*

feſſis: nam quia reſponſiones ſimilitudinem quandam confeſſionum habent, etiam *confeſſiones* appellantur in *l.* 13. *l.* 14. *ff. h. t.* Quibus tamen nihil de actoris jure dictum eſt, ſed tantum de alicujus qualitate.

Adverſus eum, qui falſo reſponderat animal ſuum eſſe, quod damnum dedit, vel ſervum occidiſſe vel vulneraſſe: qui dixerat ſe heredem qui non erat, inſtituebatur actio hac formula: QVANDOQVIDEM AIS NEQVE NEGAS TE AVCTOREM ESSE, EX LVCII TITII HEREDITATE CENTVM AJO TE MIHI DARE OPORTERE. Dicebant hic QVANDOQVIDEM AIS NEQVE NEGAS &c. Saepe enim ſciebat actor, antequam inſtituerat actionem, interrogatum nulla ex parte eſſe heredem, ſuum non eſſe animal &c. poterat nihilominus ex ſua in judicio reſponſione ab actore conveniri reſpondens, & exinde formula illa QVANDOQVIDEM AIS NEQVE NEGAS concepta fuit, ut & in ſimilibus actionibus.

Inſtituta actione *exceptionibus, quae inſtitutis in judicio contra reos actionibus opponuntur, etiam is uti poteſt, qui ex ſua reſponſione convenitur: veluti pacti conventi, l.* 12. §. 1. *ff. h. t.* Ratio eſt, quod nemo interrogare poſſit. niſi qui habeat cum aliquo actionem. *l.* 13. *ff. eod.* Ubi vero pactum eſt conventum, vel res

judicata, ibidem non eſt actio: alioqui enim actor, licet alter falſo reſponderit, conſequeretur, quod ſibi non debetur, quod nec ab alio, pro quo reſpondens reſponderat, conſequi poſſet. Hinc ſi actor agat, is, qui ex ſua reſponſione convenitur, poteſt uti exceptionibus, quibus uſus fuiſſet, ſi adverſus alterum ageretur.

Abſolvi primam Edicti partem. Agite Adeſte, ut videamus, quid amplius Praetor edixerit.

CAPUT X.

ADVERSUS EUM, QUI OMNINO NON RESPONDERIT, IN SOLIDUM ACTIONEM DABO.

Haec Edicti verba collegerunt Viri Docti ex *l.* 11. §.4. *ff. h.t. qui tacuit quoque apud Praetorem, in ea cauſſa eſt, ut inſtituta actione in ſolidum conveniatur, quaſi negavit ſe heredem eſſe. Nam QUI OMNINO NON RESPONDIT, contumax eſt: contumaciae autem hanc poenam ferre debet, ut in ſolidum conveniatur, quemadmodum ſi negaſſet; quia Praetorem contemnere videtur.* Haloander, *quia quaſi negavit ſe heredem eſſe.* Nihil mutandum eſt. Huc pertinet *d. l.* 11. §. 5. *ff. eod. quod autem ait Praetor, OMNINO NON RESPON-*

SPONDISSE: poſteriores ſic exceperunt, ut omnino non reſpondiſſe videatur, qui ad interrogatum non reſpondit, id eſt πρὸς ἔπος. Sunt Editiones, in quibus eſt *acceperunt*, quemadmodum & Alciatus *Libr.* 11. *Diſput. Cap.* 10. legit. Male Haloander *& qui ad interrogatum*. Graeca πρὸς ἔπος, ſi interpreteris, ſignificant *ad verbum*. Baſilica habent μὴ ἀκολούθως, καὶ πρὸς ἔπος. *non congruenter & ad verbum*. Meretur hic legi Accurſius, qui admodum ſuavis eſt, in exponendis illis graecis. Hic debet eſſe, inquit, quoddam Graecum; cujus expoſitionem ponit ſtatim, id eſt, *pro ſe poſcit* ſcilicet *reſponſionem*. Sed hoc eſt οὐδὲν πρὸς ἔπος. Recte Alciatus, eſt illud Accurſii tempori condonandum: nam graeca aevo Accurſiano non legebantur: vel, quod potius vellem, non intelligebantur. Ad hanc Edicti partem referenda quoque eſt *l.* 11. §. 7. *ff. eod. Nihil intereſt, neget quis, an taceat interrogatus, an obſcure reſpondeat, ut incertum dimittat interrogatorem.*

Tacens, an pro adfirmante an vero pro negante habetur? dubium eſt, ſi inſpicias paulum in *l.* 142. *ff. de Reg. jur. Qui tacet non utique fatetur: ſed tamen verum eſt, eum non negare.* Quae perperam habet Bonifacius VIII. Pontifex *Reg.* XLIV. *in* 6. *Is qui tacet non fatetur: ſed nec utique negare videtur.* Falſum enim eſt, eum, qui tacet, ſemper non fateri: fal-

ſum quoque eſt, eum ſemper non negare. Medium voluit ſtatuere ICtus inter fatentem & negantem. Jacobus Gothofredus ad *d. l.* reddit omnino regulam Titulo de *Confeſſis*, ut patet ex *l.* 1. *ff. de Confeſſ.* quae eſt ex eodem Pauli libro LVI ad Edictum. Minus bene, quod neganti tacens comparetur, petit exemplum ex *Interrogationibus in jure faciendis*, de quibus nos agimus. Caſum fingit: acturum mecum, me in jure interrogaſſe, utrum heres ſim & quota ex parte, meque tacuiſſe; negaſſe videbor: & ideo, ſi poſtea actor probet, me heredem, tanquam ex mendacio conveniri poſſum in ſolidum.

Caſus a Gothofredo adlatus eſt clarus; ſed eum, qui tacet, pro negante haberi, id non poſſum ei concedere. Si haberetur pro negante, actor adverſus inficiantem actionem principalem inſtituere non poſſet; quum tamen contra tacentem ſtatim agatur *l.* 11. §. 4. *ff. h. t.* Voluit Praetor adſtringere eum, qui convenitur ex ſua in judicio reſponſione, ut vel confitendo vel mentiendo ſeſe oneret; ſimul etiam portionis, pro qua quisque heres exſtitit, ex interrogatione certioretur. *l.* 4. *ff. eod.* An certus jam eſt actor, pro qua parte heres ſit interrogatus, ſi taceat? Video te negare. Poſſet fieri, ut is, qui interrogatur, non ſit heres: adeoque inſtituta actione cauſſa cadere deberet, propter plus petitionem. Exemplum ergo

ergo quaerendum eſt ex Titulo de *Confeſſis*, non vero de *Interrogationibus*: quae tantummodo faciunt, ut qualitas alicujus detegatur. Differunt enim interrogationes a confeſſionibus, & a rebus judicatis. Qui confeſſus eſt ſe aliquid debere, pro judicato eſt, quia quodammodo damnatur ſua ſententia. *l.* 1. *ff. de Confeſſ.* Si nolit ſolvere, executio fit in bonis. An idem quoque, ſi interrogatus adfirmet ſe heredem? Hoc vero negandum eſt. Tres in ſe concipit caſus *d. l.* 142. *ff. de Reg. Jur.* Qui forte ex *l.* 25. *ff. de probat.* illuſtrari poſſunt. Si quis indebitum ſe ſolviſſe dicat, idque probationibus probet legitimis, ſi interrogetur, tacente eo, qui acceperat, hunc pro confeſſo haberi res ipſa loquitur: quo caſu, ſi non ſolvat, executio fit in bonis. Quod ſi idem aliquis dicat, ſed nullo teſtimonio munitus, ſi taceat, qui indebitum accepiſſe dicitur, pro negante habebitur. Denique, ſi actor probationem minus plenam producat, ex qua tamen, ſi ad interrogationem non reſpondeatur, judex jus dicere nequit: ſi taceat, non utique fatetur, ſed tamen verum eſt, eum non negare.

Antonius Faber in Rational. ad *d. l.* 11. §. 4 *h. t.* & alii cenſuerunt tacentem haberi pro negante. Saepe tamen Faber ſibi contradicit, quum & ipſe fateatur, tacentem aliquando haberi pro adfirmante ad *l.* 11. §. 7. *ff.* & ad

l. 12. *ff. eod.* Verum, ut dixi, ſemper putavi eum haberi pro adfirmante. At obſtat nunc *d. l.* 11. §. 4. *ff. eod. Qui tacuit (quoque) apud Praetorem, in ea cauſſa eſt, ut inſtituta actione in ſolidum conveniatur, QUASI NEGAVIT SE HEREDEM ESSE. Nam qui omnino non reſpondit, contumax eſt. Contumaciae autem hanc poenam ferre debet, ut in ſolidum conveniatur: QUEMADMODUM SI NEGASSET: quia Praetorem contemnere videtur.*

Cum venia Veſtra, Viri Docti, non dicitur, tacentem haberi pro negante: ſed quia tacens eſt contumax, eum ideo, inſtituta actione, in poenam contumaciae puniri, QUASI NEGAVIT SE HEREDEM ESSE, vel, QUEMADMODUM SI NEGASSET: id eſt, ſi heres ex ſemiſſe interrogatus dixerit ſe ex quadrante, in ſolidum convenitur. Quare? quia per mendacium NEGAT ſe ex ſemiſſe. *d. l.* 11. §. 3. *ff. h. t.* Sed quid ſi heres ex ſemiſſe interrogatus taceat? convenitur in ſolidum. Quae ratio? quia tacendo adfirmat ſe heredem ex aſſe, ac negat ſe ex ſemiſſe. Tacens ergo eodem modo punitur ac ille qui NEGARIT ſe heredem & dixerit ſe ex quadrante. Male Libri Baſilikῶν καὶ ὁ μὴ ἀποκρινόμενος, ὡς ἀρνούμενος ἢ ὡς ἀπειθὴς ἐστι. *Qui non reſpondet, ut negans vel contumax eſt.* Nam ſi heres ex parte taceat, non habetur

ut

ut negans vel contumax; ſed habetur ut contumax & negans ſimul. Heres ex ſemiſſe tacens contumax eſt: ob ſolam tamen contumaciam non punitur. Verum quia implicitum eſt mendacium, hinc hujus poenae ratio: adfirmat enim ſe heredem ex aſſe, adeoque mendax eſt, quum negat ſe ex ſemiſſe. Formula actionis erat AJO TE LUCII TITII HEREDEM &c. ſi ergo taceat, quid tum ex ea taciturnitate eliciendum foret, niſi quod in id conſentiat, ſe eſſe heredem, quum caeteroquin id palam negare deberet?

Ex illis, quae dicta ſunt, patet §. 4. dictae *l.* 11. intelligendum eſſe de eo, qui pro parte tantum heres eſt. Nam quae alioqui poena heredi, qui eſt ex aſſe? ſane nulla: ſiquidem ulla haud foret poena, quod tacens ex aſſe heres *in ſolidum conveniatur:* quoniam tacendo nec adſeverat ſe eſſe minoris nec majoris portionis heredem; ſed tacendo indicat ſe ſe heredem ex aſſe, quod utique verum eſt. Heredis autem ex parte, ſi taceat, magna eſt poena, quia in ſolidum convenitur: nam majoris portionis ſe dixit. Conjungendus adeoque eſt §. 3. cum §. 4. & uno ſpiritu legendus. Hinc in Codice Florentino *d.* §. 4. ita incipit, *qui tacuit (quoque)* &c. Scio Leoninum *Libr.* III. *Emendat. Cap.* 9. hanc vocem ut ineptum gloſſema rejicere. Verum adeſſe debet. Nam, ut dixi, conjungit praece-

dentia cnm ſequentibus, ita ut eadem poena in noſtro §. 4. ſtatuatur, quae eſt in §. 3.

Ex verbis QVASI NEGAVIT SE HEREDEM ESSE, & QVEMADMODVM SI NEGASSET omnes interpretes contrariam elicuerunt ſententiam. Sed & meam proferre, quid vetat? Quid eſt QVASI? quid eſt QVEMADMODVM? adverbia ſimilitudinis, ut Grammatici ſolent loqui. Idem valent ac *ſicut* vel *perinde ac ſi*, ut in *l.* 16, *ff. de relig. & ſumpt. fun.* adeoque ubi id, quod dicitur, refertur ad aliquid praecedens, ut idem obtineat. Tacens QVOQVE punitur QVASI NEGAVIT SE HEREDEM ESSE vel QVEMADMODVM SI NEGASSET. Poena negantis eſt, *ut in ſolidum conveniatur:* ut eadem ſit in tacente, ratio poſtulat. Hanc enim ICti mentem eſſe, ipſe docet Ulpianus in *l.* 11. §. 5. *ff. h. t. quod autem ait Praetor, omnino non reſpondiſſe: poſteriores ſic acceperunt, ut omnino non reſpondiſſe videatur, qui ad interrogatum non reſpondit, id eſt* πρὸς ἔπος. Heres ex ſemiſſe interrogatus an ex dimidia parte ſit heres, ſi non πρὸς ἔπος reſpondeat, quid juris? eadem, qua tacens, adfligitur poena. Tacens ex ſemiſſe adſeverat ſe ex aſſe, & ob id in ſolidum convenitur. Res ita quoque ſe habet in eo qui obſcure vel aliquid ἀπροσδιόνυσον re-

reſpondet: nam contumax & mendax eſt. Illa, quoniam ad rogatum non reſpondet, ac eo contemnit Praetorem; altera, quia ſe majoris portionis eſſe dicit. Et haec cauſſa eſt, quod *negare*, *tacere*, & *obſcure loqui* conjungantur in *l.* 11. §. 7. *h. t.*

Nondum abſolvi. Tacentem haberi pro adfirmante tam certum eſt, quam quod maxime. Hoc enim evincitur, ſi conſideres formulas antiquas: quum quis negaret ſe heredem, Praetor intercedebat. QVANDO NEGAT, SACRAMENTO QVAERITO. Quod tamen locum non habuit in herede, qui tacuerit. Quid ergo? dixi & adhuc dico, ſtatim actionem adverſus tacentem in ſolidum inſtitutam fuiſſe; ſecus ac in negante. Si alium teſtem potius, quam me, audias, audi Ulpianum in *l.* 18. §. 2. *ff. de probat. & praeſumpt.* *Interrogationis factae probationem actori imponi debere, id eſt, ei qui in jure interrogatum dixit reſpondiſſe, ſe ſolum heredem eſſe. Vel ſi tacuiſſe dicatur interrogatus, aeque tantundem erit dicendum, impoſitam improbationem non ei, qui excepit ſe reſpondiſſe, ſed actori.* Haloander pro *vel ſi tacuiſſe dicatur* legit, *vel, & ſi tacuiſſe dicatur*. Sed ſine ſenſu. In omnibus, quas vidi, Editionibus *impoſitam improbationem* habetur: quod tamen nemo intelligat. Baudoza in ſua edidit *impoſita probatione*: & hoc procedit. Sed tamen puto le-

legendum eſſe *impoſitam probationem.* Litera ultima *m*, quae ad participium *impoſitam* pertinebat, in MſT. paullo longius a Litera *a* remota, ac fere cum ſequenti voce *probationem* conjuncta eſſet; unde *m* alii pro *in* acceperunt: Nam in Pandectis Florentinis eſt *iN probationem.* Qua ex re, ut adjectivum conveniret ſuo ſubſtantivo, prava illa lectio eſt orta, *impoſitam iN probationem.* Hoc volui praemittere, quia textus ita eſt depravatus, ut ſenſum non intelligas; quae alioqui ratiocinatio ex verbis, quae nihil ſignificant? Sequor Doctos, quod ſecurum eſt.

Dicit autem Ulpianus, ſi quis conſentientem vel tacentem convenerit in ſolidum, quod tamen reus negat, ſe conſenſiſſe vel tacuiſſe, debere imponi probationem non ei, qui excepit ſe non reſpondiſſe, ſe ſolum heredem vel non tacuiſſe, ſed actori. Ergo, ſi Diis placet, tacens habetur pro adfirmante. Nam quae alias ratio excipiendi, ſe non tacuiſſe? non enim propoſita exceptione, tacens aeque ac conſentiens in ſolidum conveniretur; quod ut dicere coepi, conſtat ex formulis. Si negaret ſe heredem, Praetor intercedebat. QUANDO NEGAT, SACRAMENTO QUAERITO. quum igitur probatum eſſet, negantem eſſe heredem, actor jus ſuum perſequebatur, & praetendere negans amplius non poterat, non heredem, dum id liquidum eſſet. Si quis

quis adfirmaſſet ſe heredem, licet falſo, vel etiam ſi tacuiſſet, an ſponſio fiebat ſacramenti? non dicam, ſed ſtatim ipſa ſequebatur actio: adeoque ut tacens eadem puniatur poena QUASI NEGAVIT SE HEREDEM vel QUEMADMODUM SI NEGASSET. *d. l.* 11. §. 3. & 4. *h. t.* Et qui aliter poteſt? Si id certi juris eſſet, tacentem haberi pro negante, actor ſuam inſtituere non poſſet actionem; verum ad Praetorem ſe ſe convertere deberet, quod adverſarius tacuiſſet & per conſequens negaſſet ſe heredem, atque perinde ac in negante a Praetore dicendum fuiſſet QUANDO TACET, SACRAMENTO QUAERITO, ita ut ſi probatum fuerit, eum, qui tacuerat, heredem eſſe, actione interrogatoria ut heres tum demum conveniri poſſet. quod tamen nunquam dixit ullus. Tacens enim, inſtituta adverſus eum actione, excipere nequit ſe non tacuiſſe, ſi praeparatorie id examinatum, certumque fuiſſet eum heredem eſſe, quod ſemper fiebat in negante, quod itidem fieri deberet in tacente. Praeterea, quae foret probatio ab actore reum tacuiſſe, ſi tacens ſit negans? nullam ajo, quum poſt factam ſponſionem id probatum ſit. Damnum etiam maximum actori metuendum erat, ſi ſtatim poſt interrogationem adverſus tacentem tanquam negantem egiſſet: nam pro qua parte actio ab actore inſtitueretur? in aſſem?

ſed

ſed ſi tacens ex ſemiſſe ſit? an non incurreret in poenam plus petitionis? igitur quoniam tacens adfirmans eſt, hinc convenitur ab actore, & ſi exceperit ſe non reſpondiſſe vel non tacuiſſe, probatio incumbit actori: quae exceptiones ſe *non reſpondiſſe* vel *non tacuiſſe* hic conjunguntur, quibus non admiſſis, ut adfirmans habetur & in ſolidum tenetur.

Eundem adduco teſtem Ulpianum in *l.* 39. *ff. de procurat. & defenſor. Non ſolum in actionibus & interdictis & in ſtipulationibus debet dominum defendere, verum in interrogationibus quoque, ut in jure interrogatus ex omnibus cauſſis reſpondeat, ex quibus dominus. An igitur heres ſit abſens, reſpondere debebit: & ſi reſponderit vel tacuerit, tenebitur.* Conjunguntur iterum *reſpondere* & *tacere*. Procurator ergo interrogatus, an ſuus dominus, quem defendit, ſit heres, ſi taceat, adfirmat dominum eſſe heredem, atque ideo tenetur ad exemplum procuratoris, qui reſponderit dominum heredem eſſe: vel quod idem eſt, tacens convenitur in ſolidum, QUEMADMODUM SI NEGASSET, vel QUASI NEGAVIT SE HEREDEM ESSE. *d. l.* 11. §. 4. *h. t.* Et hac ratione in concordiam rediguntur illae leges; licet aliter Cujacius: aliter quoque Gothofredus ad *l.* 142. *ff. de Regul. jur.*

Addam aliud argumentum, tacentem haberi pro adfirmante, & Paragraphum quartum

tum *d. l.* 11. explicandum eſſe ex præcedente paragrapho 3. Ex diſſentientium ſententia id ſequeretur abſurdum, eos, qui negaverant ſe heredes, qui nihilominus pro parte ſunt, ſemper in ſolidum conveniri; quod per Jovem Lapidem juro, mihi non liquere. Caſum ponam. Si quis ex ſemiſſe heres interrogatus ſit, an heres, & ex qua parte exſtiterit, & neget ſe heredem eſſe, an ſtatim ipſa actio adverſus eum inſtituitur? Nequaquam: incurreret in poenam plus petitionis, dum neſciret, qua ex parte negans heres eſſet. Quid ergo? intercedebat Praetor; fiebat ſponſio reſtipulatioque ſacramenti: & poſtquam, ab actore probatum eſſet reum eſſe heredem, pro ea, ex qua parte heres eſt, conveniebatur. Sed quid ſi ex ſemiſſe heres dixerit ſe ex aſſe, an ſit ſponſio reſtipulatioque ſacramenti, ut diximus de negante? minime: ſed poena iſtius mendacis eſt, ut in ſolidum conveniatur. Quur? quoniam dixit ſe heredem ex aſſe, & negat per mendacium ſe ex ſemiſſe, & ob id ſtatim adverſus eum actio inſtituitur. *l.* 11. §. 2. *ff. h. t.* Quid ſi taceat? adfirmat quoque ſe heredem, & negat ſe ex ſemiſſe. Quae poena? non quinquaginta aſſium ex ſacramenti ſponſione; ſed punitur, QUASI NEGAVIT SE HEREDEM ESSE, vel, QUEMADMODUM SI NEGASSET, id eſt, ut inſtituta actione in ſolidum conveniatur. Vides

des ergo differentiam poenarum inter eos, qui falſo negant ſe heredes, & inter illos, qui dicunt ſe minoris vel tacendo majoris portionis: prima eſt quinquaginta aſſium ex ſacramento: altera ut in ſolidum conveniatur.

Ex aſſe heres, ſi taceat, an negat, an vero adfirmat? Si negat, qui ex aſſe heres eſt, ut in ſolidum conveniatur res ipſa loquitur: non, quod negaverit, ſed quod tacendo adfirmaverit ſe heredem. Si tamen ex nulla parte ſit heres, & interrogatus taceat, contumax quidem eſt; ſed ex ſola contumacia non punitur, neque habetur ut adfirmans, neque ut negans, quoniam haud ex ulla parte heres eſt. Atque haec, quo magis cogito, eo magis mihi perſuadeo. Docet id etiam Paulus in *l.* 12. *ff.h.t.ſi filius, qui abſtinuit ſe paterna hereditate, in jure interrogatus reſponderit ſe heredem eſſe, tenebitur. Nam ita reſpondendo pro herede geſſiſſe videtur. Sin autem filius, qui ſe abſtinuit, interrogatus tacuerit, ſuccurrendum eſt ei: quia hunc, qui abſtinuit, Praetor non habet heredis loco.* Copulantur rurſus *reſpondere* & *tacere.* Filius, qui abſtinuit paterna hereditate, ſi tacuerit, videbatur tacendo quidem adfirmaſſe ſe heredem, praeſertim quoniam filius, qui ſe abſtinuit, heres eſſe non deſinit, quum, qui ſemel heres exſtitit, ſemper maneat. *l.* 88. *ff. de hered. inſt.* Nihilominus,

minus, quia quod ad effectus non habeatur pro herede, ei ſuccurritur: nam hunc Praetor non habet heredis loco. Et ſic ex iis, quae dicta ſunt, iterum facile *d. l.* 12. *ff. h. t.* cum *l.* 11. §. 4. *ff. eod.* adverſus Antonium Fabrum conciliari poteſt.

In Ceſſione in Jure Prætor etiam interrogabat; non tamen ad eundem effectum ut in actionibus perſonalibus: ceu liquet ex loco Boëthii apud Cl. Schultingium ad Cajum *Libr.* II. *Inſtit. Titul.* 1. poſt. §. 6. Ad mentem faciunt verba: *deinde poſtquam hic vindicaverit, Prætor interrogat eum, qui cedit, an contra vindicet: quo negante aut tacente, tunc ei, qui vindicaverit, eam rem addicit.* Ubi Oiſel notat, non ſatis fuiſſe priſcis temporibus, poſſeſſorem in rei vindicatione conteſtanda negare intentionem actoris, ſed debuiſſe contra vindicare. Hoc verum eſt, ſi agamus de vindiciis, ſi agamus de proprietate rei alicujus vindicanda; non tamen contra vindicatione opus erat in ceſſione in Jure: quia is, qui cedit, ea ceſſione toto Jure ſe abdicat. Quo caſu ſi Praetor interrogat eum, qui cedit, an contravindicet, ſi taceat, habetur pro negante. Idque ex intentione cedentis: nam is, qui cedit, contravindicare non poteſt: ſed Praetor interrogat, ut conſtaret de cedentis voluntate. Si ergo taceat, dicendum eſt, eum nolle contravindicare.

Denique. Qui reſponderat ſe heredem, adverſus eum ex ſua reſponſione Praetor actionem dabat. Idem etiam in tacente. ADVERSVS EVM QVI OMNINO NON RESPONDERIT, IN SOLIDVM ACTIONEM DABO. Formula actionis contra reſpondentem erat, QVANDOQVIDEM AIS TE AVCTOREM &c. Formula in tacente, QVANDOQVIDEM NEQVE AIS, NEQVE NEGAS, EX LVCII TITII HEREDITATE CENTVM AJO TE MIHI DARE OPORTERE. Quia ſcilicet tacendo dixerat ſe heredem & auctorem, ideo hac actione conveniebatur in ſolidum: quo caſu, ſi reus contumaciter abſens eſſet, cauſſa terminabatur quidem, non tamen ſemper ſecundum praeſentem. Secus ac faciebat egregius ille judex Claudius, qui non modo quondam creditur ex tabella ita pronunciaſſe, SECVNDVM EOS SE SENTIRE, QVI VERA PROPOSVISSENT, quam ob rem paſſim ac propalam contemtui fuit; verum etiam *abſentibus ſecundum praeſentes facillime dabat: nullo delectu, culpane quis an neceſſitate ceſſaſſet*, ut de eo teſtatur Tranquillus in *ejus vita Cap.* XV. quod abeſt a bono Judice. Nam abſens, ſi juſta ejus ſit cauſſa, vincit omnino. nec abſentia ejus hac in re ei nocet. *l.* 73. *ff. de Judic.* Etenim fieri poteſt, ut actor debi-

bitum, quod ſibi dicit a defuncto deberi, ad oculum non doceat nec oſtendat, abſolvitur quidem reus abſens; verum propter contumaciam in impenſas litis condemnatur. Quod & locum habet in tacente, qui ex nulla parte heres eſt; ſed ad impenſas litium tenetur, nec actor cauſſa cecidit, licet tacentem ex nulla parte heredem in ſolidum convenerit. *l. 79. ff. eod.*

CAPUT XI.
QVANDO INTERROGATIONES INTERROGATORIAEQVE ACTIONES SVBLATAE SINT.

Interrogationes Interrogatoriasque actiones tempore Calliſtrati, Ulpiani, Pauli, Papiniani caeterorumque JCtorum in uſu fuiſſe diximus. Nunc videamus, quando ſublatae ſint. Cl. Huber in *Eunomia Roman. ad l. 1. §. 1. ff. h. t.* illud incongruum pronunciat, quod mutatio haec tribuatur Calliſtrato, quae referenda ſit ad Juſtiniani tempora; ſed tamen ecquando evenerit, nemo facile dixerit. Hactenus ille. Verum quoque eſt, ad tempora Juſtiniani hanc referri debere mutationem: quum poſt Conſtitutionem quandam Juſtinianeam ſublatae ſint.

Antonius Faber in Rational ad *d. l. 1. §. 1.*, aliique exiſtimarunt, poſtquam Imperatores Diocletianus & Maximianus in *l. 2. C. de*

 pe-

dan. Jud. conſtituerint, ut poſt litem conteſtatam Praetores & Praeſides provinciarum cogantur ipſi de facto cognoſcere & pronunciare, nec poſſent, ut olim, judices dare, ac praeterea formulis & impetrationibus actionum ſublatis per Conſtantinum Theodoſium & Valentinianum in *l.* 1. *& l.* 2. *C. de form. & Impet. action. ſubl.* interrogatorias actiones in uſu eſſe deſiiſſe. Sed duplex eſt cauſſa, quur haec ſententia rejici debeat.

Altera eſt, quod ad tempora Zenonis uſque, ut conſtat ex *l.* 1. *C. de pluspet.* poena ejus, qui *re* vel *ſumma*, immo & qui *loco* & *cauſſa* plus petierat, haec fuerit, ut cauſſa caderet: adeoque licet certum eſſet, iſtorum Imperatorum ſaeculo omnes omnino formulas fuiſſe ſublatas, manebat tamen eadem ratio, quapropter interrogationes inventae ſunt, ne ſcilicet actor plus petendo aliquid damni ſentiat. *l.* 1. *ff. h. t.* Licet interrogationes tunc ceſſaverint, ubi *tempore* plus petebatur.

Altera: quod errant, quum dicunt per *l.* 2. *C. de pedan. Jud.* Judices pedaneos a Diocletiano & Maximiano fuiſſe ſublatos: quum ex *d. l.* liqueat Praeſides, ſi propter occupationes publicas vel propter cauſſarum multitudinem, omnia hujusmodi negotia non poſſent cognoſcere, Judices dandi habere poteſtatem. adde *l. ult. C. de in lit. jur l. un. C. qui pro ſua jurisd. jud. dare darive poſſ.* Videantur

tur Charondas in *Diſſertat. de jurisdict. & imper.* §. IX. & X. Petrus Avellanus *loc. reſtitut. vel explicat. Cap.* XXVII. Noodt *de jurisdict. & Imper. Libr.* I. *Cap. ult.* Et, quod ſi concedamus, tempore Diocletiani & Maximiani judices pedaneos fuiſſe ſublatos, quid inde? an inde docebis, interrogationes paulatim in deſuetudinem abiiſſe? mihi nunquam adparuit judices pedaneos fuiſſe datos in Interrogationibus. Dabantur demum judices poſt litem conteſtatam; non vero in Interrogatoriis, quae praeparatoriae ſunt actionis ſequentis principalis: quum in illis non fieret litis conteſtatio. Qui in jure reſponderat, ſuum eſſe ſervum, qui damnum dederat, tenebatur actione Legis Aquiliae interrogatoria. *l.* 8. *ff. h. t.* Statim ergo ex reſponſione ſua obligatus erat: cujus rei quum certus eſſet actor reum eſſe auctorem, inſtituebatur ipſa actio, ejusque fiebat litisconteſtatio & judicis poſtulatio. Quo ergo judices pedanei in Interrogationibus?

Si excutias formulas & actionum impetrationes. Nemo olim temere ad judicium veniebat, niſi prius adiiſſet Magiſtratum & ab eo petiiſſet, poſtulaſſet, impetraſſet actionem. Et hinc eſt, quod Praetor dicatur *actionem dare* vel *non dare:* ac proinde actione data judex formula dabatur. Veteres enim iſtis formulis adeo erant adſtricti, ut ei cauſſa cadendum foret, qui vel ſyllaba aberraſſet. Unde Cice-

ro in *Oratione* pro *Muraena* naſute & ingenioſe hujusmodi verborum, non ſecus, quam in magicis, ſolennia deridet. Sed quum agamus de formulis & actionum impetrationibus ſublatis, de quibus *d. l.* 1. *& l.* 2. *C. d. t.* haec intelligenda non ſunt de actionibus praeparatoriis; verum de actionibus, quibus quis principali judicio ſuum conſequitur. Nam vix eſt, ut adſererem, formulas in interrogationibus uſitatas, & illo tempore fuiſſe ſublatas.

Quin etiam ſi largiar, omnes omnino formulas Theodoſii & Valentiniani lege 2. *C. de form. & impet. action. ſublat.* in uſu eſſe deſiiſſe, tamen non ſequitur verum eſſe, quod illi volunt. Licet enim omnes formulae ea lege ſint abrogatae, manſerunt nihilominus pleraeque actiones in uſu, ita ut nulli prorſus non impetratae actionis in majore vel minori judicio agenti opponatur exceptio: ſi modo aptam rei & propoſito negotio competentem eam eſſe conſtiterit. Formulis itaque in Interrogationibus earumque actionibus ſublatis, actiones tamen interrogatoriae manſerunt in uſu: quippe & hoc tempore poena plus petitionis adhuc obtinebat. Unde perquam neceſſarium erat, ut actor interrogaret. Vide Jacobum Gothofredum ad *l.* 1. *C. Theod. de omiſſ. action. impet.* & Donellum ad *l.* 3. *C. de edend.*

Ae-

Aetate Imperatoris Zenonis interrogationes earumque actiones exſtiterunt. Nam Conſtitutione ejus, quae habetur in *l.* 1. *C. de plus petit.* quam ex Baſilicis reſtituit Cujacius *Libr.* XII. *Obſervat. Cap.* 21. & Leunclavius *Notator. Libr.* 11. *Cap.* 171. poena ejus, qui *re* vel *ſumma* plus petebat, non eſt imminuta; & ſic poſt hanc Conſtitutionem eadem, quae antea fuit, poena obtinuit: ut nempe tota cauſſa caderet; quod olim utique obſervabatur in eo, qui *tempore* plus petierat. Sed poſterius illud Zeno in *d. l.* 1. *C.* mutavit: *Omnis actor ſive maſculus, ſive foemina ante definitam delationem debiti agens, & per hoc reum damno afficiens, aliud tantum exſpectet tempus, nullam uſuram in medio accipiens, quantum ipſe praevenire definitum ſolutioni diem conatus eſt: ſed hoc tempore elapſo, non aliter agat, quam ſi impendia primae inſtantiae circa litis praemonitionem facta adverſario ſolvat.* Cujus Conſtitutionis mentionem facit Juſtinianus in §. 10. *Inſt. de Exception.* Agitur autem in *d. l.* de eo tantum, qui *tempore* plus petiit. At inquies in *d. l.* 1. §. 1. *C. de plus petit.* dicit Imperator de tutoribus & curatoribus, ſi *tempore* aut *quantitate* in plus eniſi ſint exigere, illud damnum ad tutores & curatores pervenire. Verba ſunt: *ſi vero tutores aut curatores tempore aut quantitate in plus eniſi fuerint exigere, eorum qui ſuae curae commiſſi ſunt*

debitores in nullo laedantur, ut qui ſub aliorum tutela & cura ſint: ſed ipſi tutores & curatores agnoſcant ſubinde contingens damnum. Hic ergo non tantum ejus, qui *tempore*, ſed & qui *quantitate* plus petiit, meminit Imperator Zeno. Si attenta mente hunc paragraphum inſpicias, patebit, hac conſtitutione nihil mutatum eſſe circa poenam illius, qui *quantitate* plus petierat, verum de plus petente *tempore*. Tutores & curatores, ſi in plus eniſi fuerint, exigere, ea adficiuntur poena, quae habetur in principio *d. l.* 1. *C.* Si *quantitate* plus exegiſſent, etiam, ut olim, cauſſa cadebant: quum hac de re nil ſit immutatum. Et quod abrogatum non eſt, qur ſtare prohibeatur? Idem nunc eſt, ſi quis in ſolidum heredem conveniat, qui tantummodo ex parte heres eſt: nam hic *quantitate* plus petiit, & tota ejus cauſſa conſumitur.

Pergit Zeno in *d. l.* 1. §. 2. *Qui vero res hereditarias petunt, aut rationes tutelae aut curae exigunt, & qui contra minores aut majores de negotiis geſtis intendunt, aut depoſita ab aliis data exigunt, ut eorum qui depoſuerunt, ſucceſſores facti, nihil ex plus petitione damnificentur, veluti qui juſtam habeant, ignorantiae cauſſam. Tunc vero is, qui plus petit, damnificetur, quando manifeſte convictus fuerit per avaritiam delinquere.* Non omnes ſunt expreſſi caſus, ſed quidam tantum, in quibus poe-

poena, quae apud antiquos vigebat, fuit mitigata. Illi enim, qui hic memorantur, juſtam habent ignorantiae cauſſam: ſed in aliis extra expreſſos vetus poena aetate Zenonis adhuc in uſu manſit.

Porro Juſtinianus hac de re Conſtitutionem edidit, quae in omnibus Editionibus eſt *l. 2. C. de plus petit.* Eam, quum intercidiſſet, Contius ex Libro Membranaceo deſcripſit, & in ejus Editione eſt *l. 1.* Juſtinianus vero in princip. *d. l. 2.* Zenonis Conſtitutionis meminit; ſed aliud jus circa eum, qui *quantitate* plus petiit, induxit in *d. l. 2.* §. 2. quae ſatis convenit cum epitome, quam ex Baſilicis Cujacius reſtituit. Verba iſtius epitomes Latine verſa haec ſunt. *Si quis agentium in libello a ſe emiſſo majorem quantitatem petierit, unde reo majus damnum intulerit: damnum quod ejus culpa reo acciderit, in triplum parti adverſae reſtituere compellatur. Vera autem quantitas actionis intelligatur, in quam judex ſententiam fert.* Male Pacius & Baudoza pro *in triplum* habent *in quadruplum.* Vide §. 24. *&* 25. *Inſt. de actionib.* Verum hac Conſtitutione Juſtinianea non tantum poena ejus, qui *re*, ſed & qui *loco* & *cauſſa* plus petierat, fuit abrogata, & ſic in iis non ita neceſſe erat, ut fieret interrogatio. §. 33. *Inſt. eod.* Nam olim interrogationes etiam habuerunt locum in iis

rebus, ubi metus erat pluſpetendi *loco*. Puta, ſi quis ita ſtipulatus fuerit, Epheſi dare ſpondes? & Romae pure intendat ſibi dari oportere, is plus petere intelligebatur: quia utilitatem, quam habuit promiſſor, ademit ei pura intentione. Ut ergo actor poenam pluſpetitionis evitaret, interrogabat promiſſorem, an Epheſi an vero Romae ſe dare ſpopondiſſet: ad quod ſi reſpondiſſet promiſſor, ex ſua reſponſione tenebatur actione interrogatoriâ. Similiter, ubi quis ſtipulabatur, hominem Stichum aut decem aureos dare ſpondes? & dein alterutrum petit, litem amittebat: quia *cauſſa* plus petierat. Si itaque ſtipulator neſciat, electionem rei, quam praeſtare deberet promiſſor, ab eo eſſe factam, ſtipulator, ne incurrat in *plus petitionis* poenam, promiſſorem interrogabat.

Poena adeoque plus petitionis *tempore*, ut dixi, Conſtitutione Zenonis in *l.* 1. *C. de plus petit.* eſt ſublata, & ſic hactenus interrogationibus utebantur veteres in iis, in quibus adhuc poena pluſpetitionis *re*, *loco* & *cauſſa* obtinebat, quae tamen omnia a Juſtiniano ſunt ſublata & abrogata. *d. l.* 2. & §. 33. *Inſt. de actionib.* quo tempore & ratio ceſſavit, ob quam interrogationes inventae ſunt. Id addam, quod non crederem, actiones interrogatorias in totum abiiſſe in deſuetudinem. Quamvis verum ſit, poſt hanc Conſtitutionem

nem Juſtinianeam non amplius in *Jure* fuiſſe interrogatum. Sed crediderim tamen, interrogationes poſt haec tempora *domi* fuiſſe factas, ut cenſui factum ante Edictum de *Interrogationibus*, adeo ut, ſi quis *domi* reſpondiſſet, ex interrogatione teneretur actione interrogatoria: Qui enim plus petierat, in triplum parti adverſae reſtituere compellebatur, quidquid ex hac cauſſa ſportularum nomine executoribus amplius dederat. *d.* §. 33. *Inſtitut. de Actionib.* Ne ergo, quis hac poena adficeretur, actor adverſarium *domi* interrogabat.

T A N T U M.

IN-

INDEX CAPITUM.

CAPUT I.

Diſputatur de Lectione Tituli Libri XI. Tit. I. *& probatur Florentina. Proponitur Leonini ſententia, qui propter verba* l. 1. §. 1. ff. h. t. *putat actiones interrogatorias aetate Calliſtrati non fuiſſe in uſu, Edictumque tantum propoſitum de* Interrogationibus; *quarum uſus, ex illius ſententia, maximus erat: quum non tantum ad litem inſtruendam, verum etiam ad litem finiendam fierent: dum tamen prius aliqua edita fuiſſet actio & propoſitus libellus. Contrarium docetur ex* l. 22. ff. h. t. *ac etiam, ſi Edictum tantummodo eſſet propoſitum de* Interrogationibus, *illud non diſtaret ab Edicto de* Confeſſis. *Notatur Hieronymus Treutlerus. Qui ad interrogatum reſpondit, tenetur actione interrogatoria, nec illa ſola, ſed etiam actione principali juncta ſimul interrogatoria. Nunquam interrogatum fuit poſt editam actionem & propoſitum libellum. Additur ſententia Duareni, exiſtimantis, interrogatorias actiones aevo Calliſtrati minus quidem frequentatas eſſe, ſed tamen non omnino in uſu eſſe deſiiſſe. Wiſſenbachius emblema Tribo-*

boniani in l. 1. §. 1. ff. h. t. *agnoſcit. Reſponſio Huberi ad hanc cenſuram profertur, qui addidit, interrogationes antiquas aevo Juſtinianeo non fuiſſe in uſu; ſed diſcrimen in* modo *&* *in* tempore *facit, quod olim fierent ante litem conteſtatam, deinde & poſt eam fieri coeperint. Rejicitur ſententia Huberi. Proponitur & alia Joannis Roberti, qui fingit, duplices fuiſſe actiones, quarum aliae ex reſponſionibus ante ullum conſtitutum judicium proponi potuerint, aliae ex reſponſionibus orirentur, etiamſi nulla alia adverſus eum competeret actio: quarum priores manſerint, poſteriores vero ſublatae ſint. Error Roberti oſtenditur, & adſtruitur late, nunquam ab aliquo in jure potuiſſe interrogari, niſi ſi haberet actionem aliquam. Multis refutatur Joſephus Vela de Orena, qui compoſitionem fecit praecendentium ſententiarum. Explicatur* l. 11. §. 9. *ff. h. t. demonſtratur interim, quaenam fuerint actiones interrogatoriae, de quibus Edictum Praetoris eſt. Agitur de ordine hujus Tituli adverſus Cl. Noodt. Nulla legum ſeries in hoc Titulo invenitur, cujus rei dantur rationes.*

CAPUT II.

Originem Interrogationum docet Calliſtratus in l. 1. ff. h. t. *Falſum eſſe, non inveniri in archetypo Florentino, quae hujusmodi uncinulis includuntur* [ ] *vel etiam illis* //. //. *ſen-*

Sententia Ampl. Praeſid. van Bynkershoek de his virgulis probatur. Illuſtrantur ſingula d. l. l. *verba. Interrogationes inventas eſſe, ob poenam plus petitionis, oſtenditur ex verbis*, ne interdum plus petendo aliquid damni ſentiat, *quae a Triboniano non ſunt mutilata, propter jus novum Zenonis: ut putant Raevardus, Briſſonius & Cl. Noodt, quodque* l. 95. §. 11. ff. de ſolut. *&* l. 45. §. 6. ff. de jure fiſci *docetur. Neque novi, eſſe apud auctores* aliquid damni *pro* omni damno. *Datur regula, ſecundum quam Tribonianus ſaepe poſſit eximi de labe, quam Doctores ei quotidie adſpergunt. Hac de re quaedam exempla ex hoc ipſo Titulo deſumpta. Interrogationes inventae ſunt non tantum propterea, ne* ſumma, *verum etiam ne quis* tempore loco *&* cauſſa *plus peteret. Qui reſponderat, non habebatur pro confeſſo, ſed ex ejus reſponſione naſcebatur actio interrogatoria. De actionibus interrogatoriis Praetor Edictum propoſuit. Ante Edictum aliae interrogationes fuerunt notae: quae in cauſſa fuerunt, quur Praetor de iis Edictum ediderit.*

CAPUT III.

Fiebant ante Edictum Praetoris interrogationes extrajudiciales, ex quibus antiquae oriebantur actiones. Ex Leg. XII. *Tabb. nomina pro portionibus hereditariis inter heredes erant di-*

diviſa ; ideoque ante Edictum heredes interrogari debebant, pro quota quisque parte heres eſſet, ne actor in poenam pluspetitionis incurreret. Poena plus petitionis non deſcendit ex Leg. XII. *Tabb. ſed ex Edicto Praetoris. Quamprimum de poena plus petitionis cautum eſſet, actor, ne male ageret, adverſarium domi interrogabat, an heres eſſet & pro qua parte. Si reſponderat, ex ejus reſponſione oriebatur actio interrogatoria. Reſponſio illa non habebatur pro confeſſione, neque etiam pro genere probationis: quamvis ſano ſenſu pro probatione accipi poſſet. Hae interrogationes eundem habebant uſum, ac fere eodem peragebantur modo, quo poſtea ex Edicto Praetoris. ICti verba* in jure & apud Praetorem *ſaepius inculcarunt, ad differentiam antiquarum interrogationum, qua de re proferuntur leges multae ex hoc Titulo, quibus additur* l. 39. ff. de probat. *Variae Lectiones de hac lege. Male Gloſſ. & Brunnemannus* d. l. *exponunt quaſi procurator in jure interrogatus reſpondere deberet; an heres ſit abſens. Ordo verborum* d. l. *eſt confuſus, ut & forte verba Baſilikῶν. Notatur Pratejus, qui exiſtimavit, bis eandem Ulpiani ſententiam recitari, ſemel in* d. l. 35. §. 2. ff. de procurat. *ſemel in* d. l. 39. ff. eod. *ICti ſaepe more Oratorum per ἀνακεφαλαίωσιν loquuti ſunt; & hac ratione* d. l. *explicantur. Ratio redditur, quur verba* in jure *in* d. l. 39. ff. de procurat. & apud Praetorem

rem *in* l. 10. §. 4. ff. h. t. *inveniantur. In antiquis interrogationibus erant abuſus quidam, defectusque maximus. Primus abuſus erat, quod laqueis inſidioſarum interrogationum conabantur alios implicare, adeo ut interrogatus, qui ex ſemiſſe erat, teneretur ex aſſe. Idque exemplis oſtenditur. Curabant interrogatores, ut ſemper adeſſent teſtes, qui, quod reſponſum erat, de eo teſtimonium praeberent. Secundus erat, quod interrogati ſaepe vel obſcure vel ſubdole ſe dicerent heredes, idque inſtituta adverſus eos actione iterum negarent; vel ſaltem fatebantur quidem ſe ſe pronunciaſſe heredes, ſed addidiſſe, qua ex parte. Tertius erat & ille maximus a parte ejus, qui proprie interrogari debet, & actione inſtituta convenitur. Quodque colligitur ex multis legibus, ſed praeſertim ex loco Senecae; qui, ut videtur, ab omnibus, nunquam fuit intellectus. Proponitur ſenſus verborum Senecae, ex quibus & conſtat, ex privatis illis interrogationibus ortas fuiſſe actiones interrogatorias. Defectus antiquarum interrogationum erat, quod ante Edictum nemo cogeretur reſpondere, adeoque nec actor in judicio jus ſuum tuto poſſet perſequi, dum ignoraret, an alter heres eſſet, & pro qua parte. Haec omnia poſt Edictum Praetoris mutata ſunt.*

CA-

CAPUT IV.

De ratione Edicti. *Proponuntur Calliſtrati verba ex* l. 1. §. 1. ff. h. t. *quae ab omni aevo Viros Doctos turbarunt. Antonius Faber, Hotomannus, Wiſſenbachius, Brenckman Gothofredus & alii ibidem manum Triboniani agnoſcunt. Male de his verbis ratiocinatur Bertrandus. Diverſimode Duarenus, Joannes Robertus, Huberus, Leoninus, Branchu* d. l. *explicarunt. Paganinus Gaudentius conatur probare ex Apulejo & Ambroſio, tempore Calliſtrati interrogationes in deſuetudinem abiiſſe: ſed minus recte Senſus Apuleji & Ambroſii proponitur. Interrogationes, quae fiunt in civilibus, diſtant ab iis, quae fiunt in criminalibus. Exempla interrogationum, quae in criminalibus olim fiebant, proferuntur. Calliſtratus in Libro* 11. Edicti Monitorii, *ex quo eſt* d. l. 1. §. 1. ff. h. t. *quatuor explicavit Edicta. In principio* d. l. 1. *indicat ICtus, in quibus actiones interrogatoriae in uſu fuerint. In* l. 1. §. 1. *oſtendit ſe ibidem non loqui de actionibus antiquis, quae in deſuetudinem abierant; ſed de illis, quibus de agit Edictum Praetoris. Explicantur verba* d. l. 1. §. 1. ff. Vox judicium *accipitur aliquoties pro* jus. *Poſt Edictum non ſemper neceſſe erat, ut interrogatio fieret* in jure; *ſed ſufficiebat, ſi quis* domi *interrogatus reſpondiſſet, quo pertinet particu-*

M la

la plerumque *in* l. 6. ff. h. t. *Differunt reſponſiones a probationibus & a confeſſionibus. Fiunt interrogationes non tantum in hereditatibus bonorumve poſſeſſionibus, ſed & in aliis, in quibus eadem eſt cauſſa. Ulpianus in Libro* XXII. *ad Edictum etiam ſcripſit ad Edictum de* Interrogationibus; *qui proinde initium ſumit a ratione, ob quam Praetor Edictum propoſuit in* l. 2. ff. h. t. *& in* l. 4. ff. h. t. *quae explicantur. Poſtquam Ulpianus generaliter notaverat, quae Edicti cauſſa fuerit; pergit oſtenditque, quid juris ex hoc Edicto profluat in* l. 4. §. 1. ff. eod.

Caput V.

Proponuntur verba Edicti. Quid jus *ſit, docet Ulpianus in* l. 4. §. 1. ff. h. t. *priora* d. l. *verba inter Emblemata Triboniani a Wiſſenbachio non fuiſſe relata, admiratio Huberi, quum voces* alios judices *ac praeterea* jus dicere & judicare, *quae conjunguntur, referri deberent ad tempora Diocletiani & Maximiani: ſaltem* vel alios judices *eſſe a manu Compilatorum putat. Eadem eſt ſententia Antonii Fabri. Per* judices *intelligit Cl. Voetius* judices Pedaneos, *ad diſtinctionem earum interrogationum, ut inquit, quae fiebant* in jure *ante litem conteſtatam, quum aliae in judicio fierent poſt litis conteſtationem. Error Huberi. Praetores aliquando judicarunt. Tempore Diocletiani*

ni & Maximiani judicis datio non fuit ſublata. Error Voetii. Interrogationes tantummodo fiebant ante litis conteſtationem. Conjectura, an non per judices *intelligantur illi, in quos more majorum translata fuerat jurisdictio. Haec tamen rejicitur, quum* judices *in* d. l. 4. §. 1. *ſint* Proconſules. *Deſcribit Ulpianus in* d. l. 4. §. 1. *locum, ubi Magiſtratus populi Romani, Praeſides, Proconſules apparebant, & qui idcirco* jus *appellatur. Romae* jus *denotat, ubi Magiſtratus populi Romani ſui copiam faciebant. In Provinciis, ubi Praeſides & Proconſules. Cl. Noodt male per* judices *intellexit* municipales. *Poſteriora verba* d. l. 4. §. 1. *emendantur ab Hotomanno & Hubero. Rationes Hotomanni & Huberi improbantur. Praetor domi, vel ſi per regiones urbis veheretur ſella, ſtatim non debebat eſſe paratus, ut apud eum, ſella poſita ab obambulante in rebus minimi momenti fieret interrogatio, quae alioquin absque ullo periculo peragi potuiſſet, tempore, quo tribunal adſcendiſſet Praetor. Hac occaſione explicatur* l. 21. ff. h. t. *& rejicitur omnium Doctorum ſententia. Domi vel in itinere fit interrogatio, in quibus* judicem aequitas moverit, *id eſt in rebus quae omnes moras praecipitat; & ille locus* jus *appellatur. Si adverſarius domum Praetoris adire nollet, poterat id per* libellum *expediri. Quid ſignificet* ubicunque *in* d. l. 21. Nova datur ſententia *d. l.* 4. §. 1.

CAPUT VI.

E*xponuntur formulae. Q. J. J. T. C. P. A. F. A. Doctores verterunt* quando te in jure &c. *quod probatur* , *ſi* quando *accipiatur pro* quandoquidem. *Ambae tamen illae formulae fuerunt in uſu. Qui aliquem convenire volebat, prius explorabat, an quidquam inter parietes proficere poſſet, ſed ſi operam abuteretur, in jus ibant. Hinc prius domi interrogabant* quando te *&c. ſi reſpondere recuſabat reus, in* jure *interrogabatur* quandoquidem te *&c. Id adſtruitur ex loco Ciceronis. Pars prima formulae in interrogationibus uſitatae non ſemper eodem modo fuit concepta. Exempla proferuntur. Poſt Edictum Praetoris quisque ad interrogatum tenetur reſpondere, quod introductum eſt ad diſtinctionem veterum interrogationum.* L. 5. ff. h. t. *proprie non pertinet ad Edictum de* Interrogationibus ; *quam male omnino Antonius Faber explicavit. Proponuntur Ulpiani verba in* l. 9. §. 4. h. t. *ibidem probatur emendatio Ampl. Praeſidis van Bynkershoek. Non eſt ſemper neceſſarium, ut ordine obſervato Praetor aut actor prius interroget, ac deinceps interrogatus reſpondeat. Si interrogatus non* πρὸς ἔπος *reſpondeat, poterat Praetor vel actor iterum adverſarium interrogare, ut clarius ad rem reſponderetur.* l. 9. §. 6. & 9. ff. h. t.

quas

quas denuo Antonius Faber male explicavit. Qui interrogare interrogarique poſſunt, debent habere legitimam perſonam ſtandi in judicio. Quaeritur, an filius, qui patrem defendere vult, cogatur de patre reſpondere propter l. 19. ff. h. t.? *Emendationes Haloandri & Duareni ad* h. l. *rejiciuntur ſententiae Accurſii & Antonii Fabri. Cujacii rationes pro intellectu* d. l. *recenſentur. Improbatur ſententia Cujacii, veraque* d. l. *proponitur. Procurator antequam interrogaret vel interrogaretur, nunquam praeſtitit ſatisdationem judicatum ſolvi. Procurator, qui tacet, tenetur ex Edicto de* Interrogationibus in jure. *Filius, qui habet mandatum patris, ſi taceat, tenetur ex eodem Edicto: ſi non habeat mandatum, pater ex taciturnitate filii non tenetur. Differentia inter filium & procuratorem & defenſorem.*

CAPUT VII.

Sequuntur alia Edicti verba ex l. 1. & l. 3. ff. h. t. *Notatur Accurſius.* D. l. 3. *non eget emendatione. Aditio hereditatis facti eſt & animi; quod exemplis probatur. Octo ex ſententia Accurſii enumerantur caſus, in quibus interrogationes locum habent. Praetor in Edicto tantummodo mentionem fecerat heredis bonorumve poſſeſſoris. Hac de re examinata ratio Cl. Noodtii; quae rejicitur, & alia proponitur.*

tur. L. 7. ff. h. t. *referri debet, ad hoc Edictum, licet Ulpianus. Libr*. XVIII. *ad* Edictum *non egerit de Interrogationibus, ſed de quadrupede, de Lege Aquilia, de noxalibus actionibus, ut demonſtratur ex* l. 1. §. 15. ff. ſi quadrup. paup. ſec. dic. *Pratejus ſibi contradicit in explicandis* dd. ll. *Proferuntur verba* d. l. 1. §. 15. *&* l. 17. ff. h. t. *Conjectura ad* d. l. 1. §. 15. *Diſtinctio obſervatur inter Edictum de* Interrogationibus *& inter Edictum de* Noxalibus actionibus. *Senſus* d. l. 7. ff. h. t. *Melius fuiſſet, ſi* dd. ll. *legerentur uno ſpiritu & uni Titulo ſubſervirent. Perperam Antonius Faber* l. 20. §. 2. ff. h. t. *emendavit. Sententia Antonii Fabri ad* l. 11. ff. h. t. *improbatur, additurque nova. Praeter octo caſus ab Accurſio adlatos, alius eſt in* l. 13. ff. h. t. *Interrogatus ſi negaret ſe heredem, intercedebat Praetor*. Si negat ſacramento quaerito. *Definitio* ſacramenti *ex locis Feſti & Varronis. Sacramentum in aliis rebus eſt* quinquaginta aſſium: *in aliis* quingentorum, *ad differentiam ſcilicet actionum perſonalium & realium. Formulae provocationis proponuntur & explicantur*. Auctor *ſignificat eum, a quo actor jus ſuum perſequi debet. Si ab actore probatum eſſet, reum eſſe heredem, ſequebatur ipſius actionis inſtitutio. Diſtat ſacramentum a ſponſione tertiae partis ejus pecuniae, de qua lis erat. Adduntur ibidem eorum diſcrimina*.

CA-

CAPUT VIII.

Quaeritur, num interrogationes locum habuerint in actionibus in rem? quod Cl. Heineccius & Sigonius adfirmant; ſed negat Branchu, cujus ſententia probatur. Si incertae eſſent vindiciae, rei vindicatio inſtitui non poterat. Judicii ordo in realibus oſtenditur ex Aſconio ad Ciceronem, atque notatur, olim triplici modo vindicias fuiſſe dictas. Interrogatum etiam fuit in ceſſione in jure, ſed non ad eum effectum, quam in perſonalibus. Formula anne fieret auctor? *nullam habuit utilitatem in actionibus realibus.* Auctor *eum ſignificat, a quo jus meum perſequi debeo; quamvis & pro* domino *accipiatur, quae ſignificationes realibus non conveniunt, quod prolixe oſtenditur. Formula provocationis,* quandoquidem negas, te ſacramento quinquagenario provoco *in his actionibus non obtinuit, quod ibidem probatur. Sacramenti nullus fuit uſus in vindiciis, aliter eſt in ipſa rei vindicatione. In actionibus perſonalibus fiebant praeparatorie, ut actor certior fieret, de qualitate adverſarii; ſecus quam in realibus: quum dictis vindiciis petitor certus erat, ſe non male acturum adverſus poſſeſſorem. Sacramentum in rei vindicatione tantum, non vero in vindiciis habuiſſe uſum, multis oſtenditur. Poſt conſtitutum poſſeſſorem ſequebatur actio, & in-*

inſtituta actione petitor cauſſam vel titulum dominii ſui exponebat. Docetur, Cl. Heineccium male dixiſſe ante expoſitionem cauſſae vel tituli dominii, petitorem ſolitum fuiſſe poſtulare a poſſeſſore, ſe nil in poſſeſſione deterius facturum. Notatur Noordkerk, quum putaverit in cauſſis, in quibus partis intererat, ut vindiciae decernerentur vel minus, priusquam litem aggrederentur, agitatum fuiſſe, ſacramentum, an juſtum foret, quodque exinde pependerit, utrum cauſſam in judicium deduci permitteret judex an vetaret. Explicatur locus Ciceronis. Nunquam ſacramento utebantur veteres in vindiciis libertatis aut poſſeſſionis; neque ante eas, ſed ſemper in diſceptatione libertatis cauſſae vel reivindicationis. Vera eſt ſententia Pithoei, ſacramentum ex eventu judicii juſtum injuſtumve *dici. Reſpondetur ad contraria Noordkerkii argumenta. Examinantur argumenta Cl. Heineccii, putantis, interrogationes habuiſſe locum in actionibus realibus. Jus de quo eſt* L. 131. ff. de R. J. *non eſt ex Edicto de* alienatione judicii mutandi cauſſa, *ſed ex* Edicto de noxalibus actionibus. *Poſſeſſor, qui dolo deſierat poſſidere, aliquando non habebatur pro poſſeſſore. Multis porro occurritur argumentis Cl. Heineccii, & probatur, interrogationes nunquam fuiſſe uſitatas in actionibus realibus, ſed tantummodo in perſonalibus.*

C A-

CAPUT IX.

Actio, quae ex interrogationibus oritur, vocatur interrogatoria; *quae aliquando &* confeſſoria *appellatur. Explicatur locus Ciceronis* in Orat. pro Caecina Cap. XIX. *Defenſu* l. 22. ff. h. t. *adverſus Antonium Fabrum diſputatur. Si quis juſto errore ductus reſponderit, nonnunquam in integrum reſtituebatur, ex* l. 11. §. 8. & 10. ff. eod. *Licet reſponſi poenitere, ſi nulla captio ex ejus poenitentia ſit actoris: quae tamen poenitentia ante litem conteſtatam non ſemper fuit permiſſa; ut putat Antonius Faber, cujus rei dantur rationes. Proponitur formula actionis, qua reſpondens conveniebatur: quae formula, ut Heineccius Sigonius & Raevardus exiſtimant, non fuit concepta*, quandoquidem ais, neque negas; *&c. ſed ſimpliciter*, quandoquidem ais. *&c. Uſi fuerunt veteres formula* quandoquidem ais neque negas *&c. verum alio ſenſu. Inſtituta actione reus aut excipiebat, aut actionem negabat: quo facto judices poſtulabantur a Praetore, de quo certa erat formula. Lite conteſtata actor id probabat, quod ſibi debebatur. Tenentur actione interrogatoria, non tantum qui vere, ſed & qui falſo reſponderunt, ſe heredes eſſe. Ratio redditur, quur heres ex ſemiſſe, qui dixerat ſe ex quadrante, teneatur in ſolidum. Poe-*

na ejus, qui falſo negaſſet ſe heredem, non erat, ut in ſolidum conveniretur, ſed ea ex ſacramenti ſponſione petenda eſt. Ex verbis ut ſatisdationis onus evitare poſſet *in* l. 18. ff. h. t. *non eſt eliciendum, quaſi in interrogationibus obtinuerit ſatisdatio judicatum ſolvi. Tres habentur caſus in* l. 20. ff. h. t. *qui ordine recenſentur & explicantur. Confeſſionibus falſis reſpondentes obligantur, ſi ejus nomine, de quo quis interrogatus ſit, cum aliquo ſit actio: ita tamen, ut falſae confeſſiones naturalibus convenire debeant. Qui reſponderat patremfam. ſuum eſſe ſervum, non tenebatur judicio noxali; neque etiam, ſi liber homo alicui ſerviat, agi cum eo poteſt; & ſi actum fuerit, manet actio integra adverſus eum, cujus ſervus deliquit; cujus occaſione agitur de ſenſu* l. 13. §. 1. & l. 14. ff. h. t. *Convenitur reſpondens actione noxali qui reſpondit, ſervum hereditarium ſuum eſſe, quoniam hereditas loco domini habetur ex* l. 15. princ. & §. 1. ff. h. t. *Multae Auctorum emendationes ad* l. 16. ff. eod. *quae nihil ad rem faciunt. Actio* interrogatoria *aliquando vocatur* confeſſoria *in* l. 23. §. fin. ff. ad Leg. Aquil. *cujus verba explicantur. Exempla proponuntur, in quibus formula*, quandoquidem ais neque negas *&c. locum habuit. Pauca ſequuntur de exceptionibus, quae inſtitutis in judicio contra reos actionibus opponuntur.*

C A-

CAPUT X.

Proponuntur poſteriora Edicti verba, eoque referuntur leges, quae ad illam Edicti partem pertinent. Notatur Accurſius in interpretandis literis graecis πρὸς ἔπος *in* l. 11. §. 5. ff. h. t. *Quaeritur num tacens habeatur pro adfirmante an pro negante? dubium movet Paulus in* l. 142. ff. de R. J. *quam perperam habet Bonifacius* VIII. *Pontifex* Cap. XLIV. in 6. *Jacobus Gothofredus bene* d. l. 124. *ad Titulum* de Confeſſis *retulit, ſed male petit exemplum in* d. l. *ex Titulo* de Interrogationibus, *cujus rei dantur rationes. Tres habentur Caſus in* d. l. 142. *Oſtenditur, omnes Doctores exiſtimare, tacentem haberi pro negante. Contradictio Antonii Fabri hac de re. Ex verbis* l. 11. §. 4. ff. h. t. quaſi negavit ſe heredem eſſe, *vel* quemadmodum ſi negaſſet, *probatur, tacentem quidem eadem puniri poena, qua negantem in* l. 11. §. 3. ff. eod. *idque, quod* d. §. 4. *conjungendus ſit cum praecedenti* §. 3. *ſed nihilominus tacentem haberi pro adfirmante, quod porro evincitur ex particulis* quaſi & quemadmodum *in* d. l. 11. §. 3. *ac etiam ex* d. l. 11, §. 5. ff. eod. & l. 18. §. 2. ff. de probation. & praeſumpt. *quae poſterior lex interim a vi majori defenditur. Si tacens acciperetur pro negante, Praetor intercederet*, quando negat, ſacramento quaeſito, *quum tamen haec formula nunquam adverſus tacentem fuerit uſitata. Adducitur & pro*

pro hac ſententia l. 39. ff. de procurat. & deſenſor. *quae explicatur, & cum* d. l. 11. §. 4. h. t. *contra Cujacium, Jacobum Gothofredum conciliatur. Diſputatur pro hac opinione ex abſurdo. Obſervatur differentia poenarum inter eos, qui falſo ſe negant heredes, & inter illos qui dicunt ſe minoris, vel tacendo majoris portionis. Ex aſſe heres, ſi taceat, cenſetur pro adfirmante, non vero pro negante; quod docetur ex* l. 12. ff. h. t. *quae iterum adverſus Antonium Fabrum cum* d. l. 2. §. 4. ff. h. t. *in concordiam redigitur. In ceſſione in jure Praetor etiam interrogabat, ſed non ad eundem effectum, ut in actionibus perſonalibus, quum interrogatus, qui in jure cedit, habeatur pro negante. Refutatur Oiſel. ad locum Boethii ad* Ciceron. Libr. III. Topicar. *Qui dixerat ſe heredem, adverſus eum certa formula inſtituebatur actio. Sic quoque tacens convenitur in ſolidum, de qua actione ſpecialis erat formula. Sequuntur ibidem & alia.*

CAPUT XI.

D*iſputatur, quando interrogationes interrogatoriaeque actiones ſublatae ſint. Ulricus Huberus illud incongruum pronunciat, quod haec mutatio in* l. 1. §. 1. ff. h. t. *Calliſtrato tribuatur, quae referenda erat ad Juſtiniani tempora; ſed ecquando venerit, nec ille, nec alius, ut putat, ſtatuere poteſt. Antonius Faber hanc refert ad tempora Diocletiani &* Ma-

Maximiani: judicibus ſcilicet pedaneis in l. 2. C. de pedan. jud. *ac praeterea formulis & impetrationibus actionum ſublatis per Conſtantinum Theodoſium & Valentinianum in* l. 1. *&* l. 2. D. de formul. & impetr. action. ſublat. *Duplex datur ratio, quur haec ſententia rejici debeat. Prima, quod tempore Zenonis in* l. 1. C. de pluspet. *poena pluspetitionis adhuc fuerit in uſu. Altera, quod a Diocletiano & Maximiano judices pedanei non fuerint ſublati, ac oſtenditur, etiamſi non amplius exſtitiſſent, eos nihil facere ad interrogationes, quum nunquam pedanei fuerint dati in interrogationibus. Si agatur de formulis & actionum impetrationibus ſublatis, non ſunt haec intelligenda de actionibus praeparatoriis, vel denique ſi hoc ſenſu acciperetur, quod manſerint nihilominus omnes actiones. Examinatur Conſtitutio Zenonis in* l. 1. C. de pluspet. *qua poena pluspetitionis* tempore *mitigatur, adeoque in aliis pluspetitionibus interrogationes locum adhuc habuerunt. Conſtitutione Juſtinianea in* l. 2. C. eod. *poena ejus, qui* re, loco *&* cauſſa *plus petierat, eſt abrogata. Quomodo vero in iis interrogarint, ejus rei dantur exempla. Poſt Conſtitutionem Juſtinianeam partim in deſuetudinem abierunt, non tamen in totum, quamvis ut* in jure *fierent, ille mos fuerit ſublatus, ſed domi interrogabant; cujus rei datur ratio.*

F I N I S.

Digitized by Google

CORRIGENDA.

Pag.	Vs	*lege*
10.	9. numu	unum
16.	4. ideutidem	identidem
28.	3. *l.* 45. §. . *ff. de jure fiſci*	*l.* 45. §. 6. *ff. de jure fiſci*
40.	7. ut,	ut
- - -	27. qnidem	quidem
48.	18. *interragatoriis*	interrogatoriis
68.	8. fiiebant	fiebant
- - -	17. interrogotiones	interrogationes
74.	3. municipialibus	municipalibus
92.	13. ſcia	ſciat
94.	5. fierit	fuerit
100.	6. Faber	Faber pro
127.	1. fuſtra	fruſtra
131.	4. reſpoſponderit	reſponderit
138.	9. quoram	quorum
139.	22. *dominum*	*dominus*
141.	12. mendncio	mendacio

VA1
1544233

Digitized by Google